Joanne Stephano Floriantschitsch

Bos in lingua sive discursus academicus de pecuniis vetero-novis.

The

Robert E. Gross
Collection

A Memorial to the Founder
of the

Lockheed Aircraft
Corporation

Business Administration Library
University of California
Los Angeles

BOS IN LINGUA
SIVE
DISCURSUS ACADEMICUS
DE
PECUNIIS VETERO-NOVIS

A

JOANNE STEPHANO FLORIANTSCHITSCH DE GRIENFELD J.U.D.

INCLYTI DUCATUS CARNIOLIÆ SECRETARIO-ADJUNCTO, ET ADVOCATO JURATO,

Inter Academicos Operoſos

TINNULO

Hiſtorico - Juridico - Politicè deductus.

Cum Licentia Superiorum.

LABACI, ANNO M. DC. XCV.
Typis Hæredum Mayr, Inclytæ Carnioliæ Typographi.

APPROBATIO.

PRæſens Libellus cognominatus BOS IN LINGUA nihil continet orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adverſum, ſed potiùs præludit amplioribus ab erudito ejuſdem ſcriptore in bonum Reipublicæ litterariæ ſperandis elucubrationibus, quem proinde prelo dignum cenſuimus. Ex officio Epiſcopali Labaci die 2. Octobris 1695.

Joannes Antonius
Thalnitſcher,
Vicarius Generalis.

(L.S.)

REVE-

REVERENDISSIMO,

ET

ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

JO: BAPTISTÆ PRESCHERN,

SS. Theologiæ, & J. U. D.

Celſ.mi Princ. Archi-Epiſc. Salisb.

Intimo Conſiliario,

Cathedralis Eccleſiæ Labacenſis

PRÆPOSITO,

NEC NON

ACADEMIÆ OPERОSORUM LABACENSIUM

PRÆSIDI,

DICTO

RESOLUTO.

CÆTERISQUE REVERENDmis;
PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, AC ERUDITISSIMIS DOMINIS, DOMINIS COACADEMICIS
OPEROSIS
J. S. Floriantſchitſch
de Grienfeld, J. U. D.
Inter eoſdem OPEROSOS
TINNULUS
Salutem, felicitatemque perpetuam.

EX eo, REVERENDISSIME, & ILLUSTRISSIME DOMINE, DOMINE PRÆSES, VOSq; COACADEMICI colendiſſimi, ex eo, inquam, quòd pro univerſali ACADEMIÆ noſtræ ſymbolo operoſas in mellificando apes cum lemante NOBIS ATQUE

QUE ALIIS ſelegerimus, communi OPEROSORUM nomine nuncupari voluimus: Quidni ergo & APES nos eſſe dixerim? præcipuè, quòd eorum more operari noſtri quoque ſit inſtituti: Sanè vel ideo APES nos dici poſſe, imò debere reor. Atque has inter APES, velut APUM REGEM, quia ACADEMIÆ NOSTRÆ PRÆSIDEM TE REVERENDISSIME, & ILLUSTRISSIME DNE non tantùm veneror, ſed &, ſiquidem P. Virgilio Marone Lib. 4. Georgicorum atteſtante ille operum cuſtos, *ad exemplum illius TE opuſculi hujuſce mei Cuſtodem, Defenſorem, & contra malevolos Protectorem fore ſpero, & confido: Atque hinc iſthoc TIBI tantò lubentius debita cum reverentia, & ſubmiſſione offero, do, dico, & dedico.*

Cúm-

Cúmque ex C. Plinio Secundo naturalis hiſtoriæ Lib. II. *Cap.* 17 *quàm optimè noverim eam apum eſſe naturam*, *ut* ſe quæque proximam Regi cupiat eſſe, *idcirco & VOS reliquas APES Coacademicas hac in parte in partem advoco.*

Suſcipite ergo, æquo ut ſoletis animo, leve hoc opuſculum Reverendiſſime, & Illuſtriſſime Domine, PRÆSES, VOSque cæteri Dni Coacademici colendiſſimi; Id, dum legeritis, nec mel me collegiſſe, attuliſſe, & obtuliſſe adverteritis; commoſin, id eſt prima mellificij fundamenta exiſtimate, quæ reliqua ſunt, & mel ipſum expectate, & elaborate; nam & VOS omnes unà mecum OPEROSI. *Interim favete, & valete. Dabam Labaci ex Muſæo meo pridie calendas Octobris Anni M. DC. XCV.*

AU-

AUTHOR
AD
BENEVOLUM
LECTOREM.

IN *hoc libello BOS IN LINGUA cognominato diſcurſum tibi, Lector Benevole, de pecunijs vetero-novis pro imbecillitate ingenij mei exhibeo. Huic formando anſam dedit non tantùm, quod inter Academicos Operoſos gero nomen Tinnuli, ſed ipſe etiam, qui me (quotieſcunque ferè per alios labores licet) ad veterum in magna copia à me collectos numos, & numiſmata, jucundiſſimumque mihi in iis ſtudium fert, ne dicam trahit animus: quòd autem veteribus quandoque etiam aliqua de hodiernis noſtris*

monetis annexa ſint, id notæ, & etiamnum continuantes in re monetaria mutationes cauſaverunt. Cæterùm autem L. Annæi Senecæ doctrinam me ſecutum fuiſſe velim ſcias, qui Epiſtolarum Lib. 1. *Epiſtola LXXXIV. ſic ait:* Apes debemus imitari, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare, melius enim diſtincta ſervantur; deinde adhibitâ ingenij noſtri curâ, & facultate, in unum ſaporem varia illa libramenta confundere: ut etiamſi apparuerit, unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumptum eſt, appareat. *Interim tamen gloriam laboris alieni nequaquam rapui, ſed juſtus & æquus in omnes jus ſuum cuique tribui, laudando, ex quo quid excerpſi, Authorem. Sicujus ſententia vel omninò non, vel fortè minùs placuit; cauſas adduxi opinione meâ non vanas, ſed vel rationibus, vel gravibus authoritatibus fundatas; quod ſi idipſum adversùm meas egeris ſententias, necquicquam dedignabor, imò mihi gratulabor, quòd me inſtrui contingat, qui cum Pomponio in l.* 20. *ff. de fideicommiſſarius libertatibus* memor ſum ejus ſententiæ,

qui

qui dixiſſe fertur: Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere. *Ad hæc noveris Authores, & Authorum dicta me nulla allegaſſe, quos vel quæ non ipſe legerim; unde, niſi nullam mihi des fidem, credere poteris Authores ſic, & non aliter loqui. Ipſum quod attinet diſcurſum: hic utique præterquam quòd ad cujuſvis genium accommodari non potuerit, etiam illi cujus genio aliàs diſcurſûs materia correſpondet, ex integro placere nequibit; etenim naturalis eſt hominum ad diſſentiendum facilitas l. item ſi unus* 17. §. 6. *ff. De receptis, qui arbitrium receperunt. Spero tamen neminem fore, qui non aliquid ſaltem, quod placere poſſit, in eo reperire valeat: nam ut vulgò loquimur nullus liber tam malus, qui non aliquâ parte proſit. Ex quo concludere tibi licet, me nec contendere, ut cuncta; nec expectare, ut nihil placere aſſeras: non enim eorum numero te habeo, Lector benevole, quibus illud Joannis Ouveni Epigramatum Lib.* 1. *Epigr.* 2. *occinere neceſſe habeam:*

Qui legis iſta, tuam reprehendo, ſi
mea laudas
Omnia, ſtultitiam, ſi nihil, in-
vidiam.

Lege ergo, & evolue paucula hæc, quæ conſcripſi foliola, quæ perlecta, & evoluta cùm ex toto laudare nequeas, ſcriptori ſaltem ex toto, quod licet, corde fave, & vale.

SYL-

SYLLABUS AUTHORUM,

Quibus

In hoc diſcurſu Academico vel allegando, vel impugnando uſi ſumus.

ORDINE ALPHABETICO.

ALex. ab Alexand.
Ariſtoteles.
Biblia Sacra.
Biragus.
Caj. Jul. Cæſar.
Calepinus.
Calvinus.
Caramuel.
Cicero.

Corpus Juris Can.
Corpus Juris Civ.
Couaruvias.
Ephemer. Nat. Cur.
Fridlin.
Gellius.
Happelius.
Hermes.
Hoffmann.

Hoſtus.
Joſephus.
Kibler.
Klockius.
Lands Hand-Veſt deß Hertzog-thumbs Crain.
Livius.
Lucius.
Luckius.
Macrobius.
Majolus.
Monterchius
Ordinatio monet.
Ouvenus.
Palatius.
Patinus.
Pellerus.
Perezius.
Pfennigk.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Verg.
Polingenius.
Portius.
Receſſus Imperij.
Scaccia.
Schambogen.
Seneca.
Struvius.
Tholoſanus.
Tiraquel.
Vaillant.
Virgilius.

EPI-



EPIGRAMMA

IN SYMBOLUM D. AUTHORIS, UT PRIMI EX ACADEMIA OPEROSORUM SCRIPTORIS.

SEmper honos, nomenque illis, laudeſque manebunt,
Qui primi fuerant qualibet arte Viri.
Te PRIMUM intueor, quia TINTINABULA pulſas,
Atque VOCAS RELIQUOS in tua facta VIROS.
Tu BASIS es SOCIJS, calamos qui ſcalpraque ſument,
Te FUNDAMENTI gloria firma manet.
TINNULUS es, quis non celebret te hoc lemate dignum,
Namque tuus paſſim tinnit in aure labor.

CON-

CONGREGAT EXAMEN ſcripti tua penna Libelli;
Et reliqui calami jam ſua mella dabunt.
Perge labore annos, & famâ extendere nomen,
Carmina Poſteritas uberiora canet.

A L I V D
IN ZOILUM VESPÆ COMPARATUM CUM ALLUSIONE AD COGNOMEN, LILIA GENTILITIA, ET APES SYMBOLICAS D. AUTHORIS.

VEſpa quid audaci temeraria vulnere tentas
Pulchrum FLORENTIS lædere VERIS OPUS.
Quid tibi cum dulci redolentis nectare FLORIS,
Quoſque ferunt liquidos LILIA pulchra favos?
I procul! I turpis! procul hinc tua ſpicula tolle;
Nam FLOS hic ſoli mella propinat API.
Illa per illæſos FOLIORUM ſedula nexus
Colligit Ambroſias, munera grata, dapes:
Aſt importuno tu circùm munere ſtrides,
Et NIVEUM fixâ cuſpide tangis OPUS.
Ultrò ſi pergas temeraria lædere FLOREM,
Et ſua, quêis lœdat, ſpicula geſtat APIS.

Ità accinuit
Joannes Rudolphus Coraduci, L. B.

E P I G R A M M A
IN LIBELLUM DE PECUNIJS.

OMnia ſi numis parent, ſunt numina numi:
Dives Divinus nonne Libellus eris?

A L I V D
AD LIBELLI HUJUS AUTHOREM.

COllectum in paginas OPEROSè Apis ingenioſa
Et Momis Sapiet mel ſuper omne tuum.

Exiguis his eximium in D. Authorem
affectum publicare geſtijt
Franciſcus Wilhelmus à Zergolleren.

JOANNIS STEPHANI FLORIANTSCHITSCH DE GRIENFELD, J. U. D. INCLYTI DUCATUS CARNIOLIÆ SECRETARIO-ADJUNCTI, NEC NON ADVOCATI JURATI

BOS IN LINGUA

PROLOGIUM DE RATIONE TITULI.

Summaria.

1. *Quid ſibi velit parœmia* Bos in Lingua?
2. *An tractatui de monetis conveniat?*
3. *Datur ratio quare.*
4. Bos *Athenienſis pecuniæ ſignificatio eſt.*
5. *Probatur à pari.*
6. *Item authoritate Plutarchi.*
7. *Præterea authoritate Plauti.*
8. *Demum Pet. Greg. Tholoſ.*

1. PAroemiam *Bos in Lingua* etſi tum demum priſcis in uſu fuiſſe noverim, cum quiſpiam pecuniâ ſordidè corruptus obmu-
2. tuiſſe denotaretur: eandem tamen etiam illi non omninò inconcinnum reor epigraphen, qui peculiariter de monetis, & pecunia decre-
3 vit ſermocinari. Concinnitatem hanc reri me facit, quòd diſcurſus deſinenter *in lingua* ſe habeat, & pecunia antiquitùs Athenæis *Bos* dicta fuerit: ut vel hinc præter dictam parœmiæ ſignificationem, diſcurſus itidem de pecunia ſigni-
4. ficari videatur. Pecuniam verò Athenæis *Bos* dictam fuiſſe non tantum conjecturâ conſequor, ſed & probatæ authoritatis virorum teſtimo-

ſtimonijs credere convincor. Con-
5.jecturare quidem facit ratio; quod ſicuti ab inciſis *bigis, quadrigis*, & *victorijs* teſte C. Plinio Secundo naturalis hiſtoriæ Lib. 33. Cap. 3. priſci Romani numos ſuos *bigatos, quadrigatos*, & *victoriatos*, ita etiam ab inciſo *boue* Athenienſes numum
6.ſuum *Bos* dixerint. Bouem autem ijs inciſum fuiſſe, certum eſt per ea, quæ habet Plutarchus in Theſeo, dum dicit: *Signavit* (Theſeus ſcilicet celeberrimus ille Athenienſium Rex, cui Athenæ non tantùm primum numum, ſed & ſeipſas ob tot, tantaque præſtita innumeris penè titulis debent) *Signavit*, inquit ille, *numum inciſo bove, vel ob taurum Marathonium, vel ob Minois ducem, vel*
7.*ad agriculturam cives incitans*. Hanc

conjecturam meam confirmat, vel ut meliùs loquar, tollit; quia credere cogit M. Accus Plautus in Perſa Actu 2. Scena 5. in perſona Sagariſtionis Servi hæc proferens:
8, *Boves bini hìc ſunt in crumena.* Et adhuc magis Petrus Gregorius Tholoſanus Syntagmatis Juris univerſi Parte 3. Lib. 36. Cap. 2. Num. 20. dum ex Juliano apud Julium Pollucem ita loquitur: *Antiquum erat Athenæis numiſma, & vocatum eſt Bos, quia bouem habuit ſculptum.* His itaque ſtantibus, & quod intentionis meæ quoque ſit de monetis, & pecunia nonnihil diſſerere, diſcurſûs mei epigraphen *Bos in lingua* eſſe volui. Priuſquam verò ad pecuniam, ſeu monetam deveniam, placuit, extremo tamen tantùm, quod

ajunt digito, illa, quæ ante eam fuerunt indicare, & inſinuare. Sit ergo

SECTIO I.

Quid fuerit ante numum? quâ occaſione, quâve de causâ inducendus erat?

Summaria.

1. *In principio omnia erant communia.*
2. *Contrarium docet Caramuel.*
3. *Qui refutatur.*
4. *Pronomen* ſuus *denotat etiam rem communem.*
5. *Idipſum probatur.*
6. *Semina & plantæ ſolo cedunt.*
7. *Terra communis fuiſſe probatur.*
8. *Quod ex communi naſcitnr, commune eſt.*
9. *Probatur animantia communia fuiſſe.*
10. *Quæ cauſa rerum diviſionis?*
11. *Quid cauſam permutationibus dederit?*
12. *Ob inæqualitatem permutandorum Numus inductus fuit.*

 13. Non

13. *Non minùs etiam ob difficultatem permutanda tranſferendi*
14 *Numus dicitur, quia lege valet.*
15. *Numi olim rudis materiæ erant, & ponderatò expendebantur.*

1. IN primordio mundi omnia communia fuiſſe neutiquam dubitandum: etenim *per iniquitatem alius hoc ſuum eſſe dixit, & alius illud*, ut habet Can. Dilectiſſimis Cauſ. 12. Quæſt. 1.

2. Aſt aurem hic vellicat, ideoque pauliſper morari facit Joannes Caramuel, qui in libro de Templo Hieruſalemytano Tomo 1. Tract. prœmiali. Sect. 2. tempus, quo omnia fuiſſent communia figmentum poëticum eſſe, idque nunquam extitiſſe exiſtimat, eo argumento ductus, quod ſcriptura teſte Gen.

cap.

cap. 4. jam tunc, cùm adhũc non niſi quatuor perſonæ, Adam ſcilicet, Eva, Cain, & Abel in mundo numerarentur; Abel *de primogenitis gregis ſui* munera Domino obtulerit. Ideo autem gregem Abelis proprium fuiſſe autumat, quòd ipſius induſtria fuerit multiplicatus; quemadmodum & fructus terræ à Caino oblatos, Caini proprios dicit, quòd is ſeminaverit plantaveritq;.
3. Verùm ubivis hallucinatur. Nam
4. primò pronomen *ſuus* adæquatam proprietatem non ſemper denotat, ſed ambiguum eſt, ac etiam rem communem ſignificat per Pomponium in Leg. 239. §. fin.
5. ff. de verborum ſignif. Idipſum probatur verbis legis 74. ff. de legatis & fideicommiſſis tertio: *Si-*

quis ſuos ſervos legavit, communes quoque contineri, & in quibus uſus fructus alienus fuit. Hanc quoque ſententiam jam ante compilatorum Juris ætatem pridem communiter receptam fuiſſe lex 46. ff. de ritu nuptiarum hiſce perhibet: *Libertam ejus eſſe negari non poteſt, licet alterius quoque ſit liberta: quam ſenten-*
6.*tiam plerique rectè probaverunt.* Deinde falſum etiam eſt, quòd ob ſeminationem, aut etiam plantationem quis fructuum Dominus efficiatur: *Nam plantæ, quæ terræ coaleſcunt, ſolo cedunt; eâdem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur* Inſtit. De rerum diviſione §. 32. hinc ille eſt verſiculus:

Om-

Omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit.
7. Solum verò ſeu terra, in qua Cain ſeminavit & plantavit, communis erat; quod non tantum conſtat ex Can. ſupra cit. ſed & ex Gen. Cap. 10. ubi terram primò in diebus Phaleg diviſam fuiſſe hiſce docemur: *Natique ſunt Heber filij duo: nomen uni Phaleg eò quòd in diebus ejus diviſa ſit*
8. *terra.* Idem judicium de fœtu animalium, quem ſi animal commune enitatur, communis eſt arg.
9. §. item ea. Inſtit eodem. Animantia autem omnia communia fuiſſe concludo ex Gen. cap. 1. Ubi non impari modo de terra ipſa, ac de animantibus DEUS loquitur: *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini, & implete terram, & ſubjcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volati-*

libus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. En terra ſubycienda, & animantibus dominandum: quid autem amabò differt, aliquid habere ſubjectum, vel eidem dominari; aut è contra? ſanè nihil. Si ergo eadem poteſtas hominibus data eſt ad animantia terræ, ac ad terram, & pro tunc per ante dicta terra hominibus communis fuerit, neceſſe eſt & animantia communia fuiſſe: quod ipſum itidem præfatus can. confirmat. Atque hæc ſufficiant; ultra non moror, quamvis plura, quæ Caramueli oggeram, habeo. Redeo proinde, & repeto in primordio mundi omnia communia fuiſſe, & per iniquitatem alium hoc ſuum,
10 alium illud aſſeruiſſe. Quia verò

ex decreto Divino Geneſeos cap. 3. hominibus *cunctis diebus vitæ ex terra in laboribus comedere, & in ſudore vultûs pane veſci* neceſſum erat: nec omnium labor æqualis eſſet; & vel ideo ex inæquali hominum labore fructuum æqualis participatio æqua eſſe non potuerit, aliunde etiam magiſtra experientia docuerit communionem parere diſcordias l. cùm pater §. dulciſſimis ff. de legatis 2. ad rerum diviſionem deventum eſt.

11. Quoniam autem jam tum neceſſe fuerit reapſe experiri id, quod longè poſt P. Virgilius Maro Georgicorum lib. 1. conſcripſit, ſcilicet;

Heic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atq; injuſſa vireſcunt

Gra-

Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabœi?
At Calybes nudi ferrum, viroſaq; pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?

Hinc eſt, quòd rebus diviſis ſæpe numerò acciderit, ut alij aliarum rerum majorem, aliarum minorem, quàm ſatis eſſet, haberent copiam; quin *alteri ſupereſſet, quod alteri planè deerat; hinc ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabantur.* Paulus in leg. 1. ff. 12. De contrahenda emptione. *Sed quia*, pergit idem Paulus loco cit. *non ſemper nec facilè concurrebat, ut cùm tu haberes, quod ego deſiderem, invicem*

vicem haberem, quod tu accipere velles,
electa materia eſt, cujus publica, ac per-
petua æſtimatio difficultatibus permu-
tationum, æqualitate quantitatis ſub-
13. *veniret.* Vel ut cum Ariſtotele
lib. 1. Politicorum Cap. 9. loquar:
cùm ſubſidium illud (ſcilicet permu-
tationis) *fieret magis, ac magis exter-*
num, ac longinquum partim ſuppor-
tandis illis, quibus egebant; partim ex-
portandis, quibus abundabant; neceſ-
ſariò numi uſus comparatus eſt: non
enim facilis eſt ad portandum una-
quæq; earum rerum, quæ ſunt neceſ-
ſariæ naturâ. Quapropter ad res con-
trahendas tale quiddam de communi
ſententia conſtituerunt inter ſe dare &
accipere, quod cum eſſet è numero re-
rum utilium, uſum haberet tractabi-
lem, ac facilem ad vitam degendam:

quale

quale eſt ferrum, & argentum, & ſiquid tale aliud eſt: primò quidem ſimpliciter magnitudine & pondere definitum; ad extremum verò etiam ab iјs notâ ſignatum, ut labore metiendi, ac ponderandi defungerentur. Ex quo non ſolùm colligere licet, ob difficultates permutationum ſucceſſu
14.temporis numum (id eſt, quod *nómo, ſeu inſtituto, & lege* valet, ut teſtis eſt idem Ariſtoteles lib.5. Ethicorum cap 8.) neceſſariò inductum
15.fuiſſe; ſed etiam apparet primis temporibus numum rudi materiâ conſtitiſſe, quæ ex magnitudine & ponderatò expendebatur, & poſtea primum ad quantum ſignificandum, & onus dimenſionis, ponderationiſue evitandum fuiſſe ſignatum.

SEC-

SECTIO II.

De diverſis numorum nominibus.

Summaria.

1. *Rudis numi materia dicebatur* rauduſculum.
2. *Poſtquam ſignabatur*, Flaviſſæ.
3. *Flaviſſarum alia nomina.*
4. *Pecunia impropriè dicitur* Sanguis *&* animus.
5. Opes *unde dicantur, & quid ſignificent?*
6. Facultates *unde dicantur & quare?*
7. Divitiarum *Etymon, & ſignificatio.*
8. Pecunia *à pecore.*
9. *Æs pecunia dicitur, quod primùm ex ære ſignaretur.*
10. Moneta *à monendo.*
11. Numus *unde dicatur?*
12. *Refertur opinio exiſtimantium* numum *à* Numa *Rege Rom. denominari.*
13. *Reÿcitur hæc ſententia.*
14. *Numus à Græco nómos derivatur.*

Nu-

NUmo aliud, dum rudis adhuc
materia eſſet, aliud poſt-
1. quam ſignaretur, nomen erat. Il-
la, rudis ſcilicet materia ponderatò
expendi ſolita Priſcis *Rauduſculum*
vocitata fuit; ſic enim in venditio-
nibus mancupi ſcriptum erat: *Rau-*
2 *duſculo libram ferito.* Hanc verò id
eſt pecuniam flatam, & ſignatam
à flando *Flaviſſas* appellabant; ut
videre eſt apud Aulum Gellium
Noct. Atticarum lib. 2. cap. 10. ubi
Q. Valerium Soranum metonymi-
cè loquentem inducit, dum ait
eum dicere ſolitum fuiſſe: *Quos*
Theſauros græco nomine appellaremus,
priſcos latinos flaviſſas dixiſſe, quòd in
eos non rude æs, argentumque, ſed fla-
ta, ſignataque pecunia conderetur.
Quaſi diceret: Theſauros priſci La-
tini

tini Flaviſſas dixerunt, quia flaviſſis, id eſt flatâ, ſignatâque pecuniâ conſtabant.

3. Hæ flaviſſæ diverſa ſortiuntur nomina; dicuntur etenim & *Æs*, & *pecunia*, & *numus*, & *moneta*: quòd ſi in majori conſiderentur quantitate etiam *Divitiæ*, *facultates*, & *Opes* nuncupantur. Singula vocabula rationem ſuam habent, & propria

4. ſunt; improprium autem eſt, quòd nonnullis etiam *ſanguis*, *animuſq;* vocentur, uti habet Chriſtophorus Pellerus in ſuo Politico ſcelerato impugnato Cap. 26. in additionibus: *pecunia inter homines ſanguis, & animus eſt; quem qui non habet, inter vivos mortuus ambulat.* De vocabulis proprijs paucula.

5. *Opes* ſunt plurale vetuſtiſſimæ illius, & jam penè antiquatæ ſingularis vocis *Ops*, quæ vox quid olim ſignificaverit, vel ipſa contraria etiamnum uſitata ſignificatio inops edocet. Si enim ly *inops* eum denotat (uti & denotat) qui omni ope deſtitutus eſt; à contrario *ops* eum denotare debet, qui ſine ope non eſt, imò qui undequaque ope abundat, ut vel ſic pecuniam majori in quantitate conſideratam ex eo *opes* dici, quòd *opitulentur*, & in omnibus *opi* ſint, non tantùm conjecturare pronum, ſed & credere, præcipue ſi ab effectibus conſideretur, ſit neceſſum. Verum enim eſt, quod Marcellus Palingenius in ſuo Zodiaco vitæ in Tauro adnotavit:

Om-

Omnia dives habet, nam præſtant omnia numi.

6. *Facultates* quaſi *facilitates* dicuntur, non tam, quòd labantur facile, ſed quòd qui numos habet, ad omnia, & omnium rerum facilitatem habeat, ut teſtis eſt poëta, qui cecinit:

- - - Quodvis numis præſentibus opta,
Et veniet; clauſũ poſſidet arca Jovem.

Poëtam vera ceciniſſe Sigismundus I. Friderici Pacifici filius ſignificat, qui exhibente Joanne Palatio in Aquila Auſtriaca Parte 1. lib. 42. cap. 2. mihi fol. 79. numo inſculpſit craterem, & ſaccum pecunijs repletum cum lemmate: *Divitijs omnia parent.* Idem etiam atteſtatur adagium italicum: *Il martello d' argento rompe le porte di ferro*; & in-

dubitatè verificat Eccleſiaſtes cap. 10. verſ. 19. qui habet: *pecuniæ obediunt omnia.* *Facultates* verò, quaſi *facilitates*, & ſic unum idem, ac aliud ſonare authoritate aliorum docet Andreas Tiraquel. ad L. ſi unquam Cod. de revocandis donationibus, verbo facultatum: ibi: *Antiqui facul, & faculter dicebant, quod poſterior ætas facile, & faciliter vocavit.* Et paulò poſt: *unde & facultas nomen ad noſtram ætatem permanavit, veluti facilitas agendi quidpiam.*

7. *Divitiæ* à verbo *dives*, *dives* à vocabulo *divus* etymologatur, quòd *qui dives eſt, quaſi DEUS nullo indigere priſcis videretur.* Calepin. in dict. qua de cauſa etiam Ouvenus lib. 3. Epigr. 97. cſtari non dubitavit: *Solus*

Solus Dîs DEUS eſt. Dîtes Dij: Numina numi.

8. *Pecunia* C. Plinio ſecundo teſte naturalis hiſtoriæ lib. 18. cap. 3. *à pecore appellatur.* Cujus rationem idem lib 33. cap. 3. dat, dum dicit: *ſignatum eſt* (æs) *notâ pecudum, unde & pecunia appellata.*

9. *Æs*-nuncupatur mutuatâ & derivatâ ſignificatione à primo Signatorum numorum genere, venitque eo nomine, quidquid metallorum, ut numus ſit, ſignatur, & ſic cum Ulpiano in l. 159 ff. De Verb. ſignificat. *Etiam aureos numos æs dicimus.*

10. *Moneta* dicitur *à monendo, quòd nos ſigni impreſſione, vel authoris, vel precij moneat.* Calvinus in Lex. Jur.

 Adde,

Adde, quòd etiam moneat ſubditos ſubjectionis, & cenſuum debitorum: hinc Chriſtus Dominus, ac DEUS noſter Matth. cap. 22. oblato ſibi à Judæis denario, in quo cæſaris erat imago, & ſuperſcriptio, quaſi ex antecedenti deduxit neceſſarium conſequens: *date ergo, quæ ſunt cæſaris, cæſari.*

11. *Numus*, ſeu *numiſma* generaliori ſignificatione ſumptum, an à græco *nómos*, an *à numero*, an *à numine* denominetur Ouvenus Lib. 2. Epig. 110. dubitat; ſic enim habet:

Anne numum vocitant, criticiq; numiſma Latini,
Quod nómon Argivi, quodq; nomíſma vocant?

An,

An, quia nume potens, numerata pecunia vulgò
Diceris, à numero tu quoque nomen habes?
Anne Deam, quia te, Regina pecunia, mundus
Æſtimat, & numo numen ineſſe putat?

Ego iſthæc omnia ſuo modo applicabilia, non tamen pro vero numi etymo agnoſco: Quod verò ſit verum etymon paulò poſt exponam: ſed nondum omnium mentes de numo retuli.

12. Sunt, qui *numum*, ſeu *numiſma* à *Numa* Pompilio Romanorum Rege ſecundo, ſicut Philippæos à Philippo Macedonum, & Daricos à Dario Perſarum Rege nominari au-

ſtument, quaſi verò Numa Rex primus apud Romanos imaginibus, & titulo nominis ſui æs notaverit. 13. Verùm Plinius citatus lib. 33 cap. 3. diſertis verbis loquitur: *Servius Rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Remeus tradit.* Certum autem eſt Servium Tullum Sextum Regem Romanorum fuiſſe, eumque primò poſt annum centeſimum à morte Numæ Pompilij in Regno ſucceſſiſſe: ideoque *numus* Regi *Numæ* nomen ſuum debere neutiquam dici debet, niſi forte de *Scorteis* intelligas, quos tantummodo *congiarium populo dediſſe fertur* teſte Alexandro ab Alexandro Genialium dierum lib 4. cap. 15. ſed quid gloriæ ab his? præcipuè quòd per infra dicenda jam Abrahami tempore,

pore, non dico ſcortei, ſed argentei
numi extiterint. Servius Rex cer-
tè, licet, ut dictum, primus æs Ro-
mæ ſignaverit, à nomine tamen
14. ſuo non denominavit. Itaque
potiùs credendum Ariſtoteli, & di-
cendum *numum* à græco *nómos* de-
rivari. Sic enim habet lib. 5 Ethic.
cap. 8. *Ex hominum quaſi compacto,
& convento quodammodo, ſucceſſit nu-
mus: atque ob hanc cauſam nomíſma
vocatur à græcis apò tû nómu id eſt à
lege: quia non naturâ, ſed lege valeat,
ſitque in nobis ſitum eum immutare,
inutilemque reddere.*

Hæc de diverſis flaviſſarum, ſeu
æris ſignati vocabulis. Ego pro-
miſcuè jam uno, jam altero utar,
dum ad ulteriora progredior.

SECTIO III.

De materia monetarum.

Summaria.

1. *Varijs locis, & temporibus varia eſt monetæ materia.*
2. *Recenſentur ex Maiolo variæ monetarum materiæ.*
3. *Moneta magni Chan fit ex* pellicula arboris *cujuſpiam.*
4. *Abyſſinis pro numis* grana piperis, *&* micæ ſalis.
5. *Incolis Tebeth verò* corallia.
6. *Amygdalæ* Paden *dictæ Guzaretanis ſunt pecunia.*

7. 8. *Alijs pecuniæ vice ſunt certæ* conchæ.

9. *Alijs* fructus arboris.
10. *Alijs* lapides.
11. *Non nulli ex* aurichalco *monetam habuerunt.*
12. *Quidam* corium *ſignabant.*

13. 14. *Quibusdam pro numo* ferrum *ſerviebat.*

15. *Sy-*

15. *Syracuſanis fuit* ſtannea *moneta.*
16. *Romanis materia monetæ fuit* Æs, Argentum, & aurum.
17. *Romano-Germani regulariter ex auro & argento numos ſignare conſueverunt.*
18. *Eſt & gens* mortuorũ oſſa *numi loco habẽs.*

1. MAteria monetarum pro diverſitate locorum, & tem-
2. porum varia eſt, & erat. Maiolus in ſuis diebus canicularibus tomo 1. Colloquio 23. mihi fol. 426. recenſet ex authoribus ibidem citatis *in orientali India, in provincia Caraian, pecuniam ex lapide porcellano confici; in Cambalienſi regno pecuniam ex celſæ arboris (morus eſt alba) folijs in uſu eſſe; in Affrica in Tebuto regno pecuniæ vicem habere conchiliorum perſicorum tegumenta; in Æthiopia angugui ſalem pro moneta eſſe.* Hæc ut dixi ex Majolo.

3 Ca-

3.Caſpar Klockius de Ærario lib. 1. cap. 20. Num. 10. de moneta magni Chan Tartari ſic habet: *In regno Cathaienſi, qui expenditur numus conficitur ex delicata pellicula, ſive membrana, quæ eſt inter ſtirpem, ſeu truncum, & corticem arboris cujusdam, ea pellicula cùm trita, contuſa, temperataque glutine fuerit, ſigno, ac nomine magni Chani inſignitur.*

4.Paulò infra Num. 11. idem Klock. narrat, quòd in regno Prete-Jani Abyſſinorum regis *Salis micæ, & piperis grana pro numis ſerviant.*

5.Chriſtophoro Pellero in obſervationibus, atque additionibus ad citati Klockij libri 1. cap. 20. Num. 10. teſte, Incolæ regionis Tebeth *corallio pro monetis utuntur.*

6.Euerh. Guernerus Happelius Parte

3. Mun-

3. Mundi mirabilis tripartiti lib. 21. cap. 4. mihi fol. 1051. atteſtatur in regno *Magni Mogoll*, in provincia *Guzarete* pro minori, & currenti moneta inſervire certum *amygdalarum* genus cholocintide (vulgus colloquintum nominat) amarius: id in Perſia in aridis, & ſiccis locis, inter petras creſcere, & *Paden* nominari aſſerit.

7. Eodem teſte, loco citato, habeo conchas *cori* dictas, quæ ſolummodo in inſula *Maldives* reperiuntur, ac peripheriam verſam habent, inde in prædictum regnum Magni Mogoll in regna *Viſapaur*, & *Golconda*, imô in Affricam uſque tranſportari, ibidemque pro numis eſſe.

8. Idem Happelius Cap. proximè ſequenti 5. mihi fol. 1057. habet Af-

frica-

fricanos, regni *Congo* incolas pecuniæ loco habere *conchas*, quæ ad Portugaliæ inſulam *Laonda* dictam ſoli ſupremo domino è mari levare licet.

9 In Americæ provincijs *Guatimala*, & *Nicaragua* fructus arboris *Cacavæ*, ſeu *cacaui*, ex quo Cacavo celebris illa *chacolata* conficitur, pro moneta eſt. Si eidem Happelio loco jamjam citato credas.

10. Idemmet fol. 1059. atteſtatur Virginianis lapideam monetam eſſe.

11. M. Accus Plautus in Militie glorioſo Actu 3. Scena 1. in perſona Pleuſidis ita loquitur:

Cedò treis mihi homines contra auri-ſchalco emptos.

Unde patet pecuniam etiam aurichalcum fuiſſe. 12. Apud

12. Apud L. Annæum Senecam lib. 5. de beneficijs cap. 14. invenio aliquando *corium formâ publicâ percuſſum Lacedemonijs uſum numeratæ pecuniæ præſtitiſſe.* Quod & de Romanis ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium cap. 15. Dicens, quòd *Numa Pompilius Scorteos aſſes congiarium populo dederit.*

13. Tempore C. Julij Cæſaris præter numos aureos Britannis etiam ferrei annuli pro numis erant, quod ipſe C. Julius Cæſar in ſuis commentarijs de bello Gallico lib. 1. hiſce verificat: *Utuntur autem* (ſcilicet Britanni) *numo aureo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro numo.*

14 Plutarchus in vita Lycurgi aſſeverat Lycurgum Lacedemonijs

mone-

monetam omnem auream, & argenteam antiquaſſe, ſoli ferro authoritatem tribuiſſe, ejuſque magno ponderi, & moli exiguum aſſignaſſe precium. Claſſomenij itidem, ut author eſt Ariſtoteles Oeconomicorum lib. 2. *percuſſerunt ferreum numum ad argenti rationem.*

15. Dionyſius Syracuſius, teſte eodem Ariſtotele loco cit. *cùm non abundaret argento, numum percuſſit ex ſtanno, advocatâque concione, copioſâ oratione numum eum commendavit. Syracuſij verò illum ſcito ſuo approbârunt.*

16. Ære Argento, & Auro Romanorum pecuniam conſtitiſſe infinitis, ut ita dicam, vel in hoc ipſo noſtro Patriæ, & Carnioliæ ſolo, nominatim hic Æmona - Labaci, Noviodunoduno-

duno - Gurgſeldæ, Magno Vico-Iggij, in monte Adrante - Trojanberg, alibique in agris, & ſylvis paſſim reperti, & antiquorum Romanorum cæſarum, conſulum, Trium - virorum, &c. nomina, & effigies exhibentes numi indubitanter atteſtantur.

17. Hodie in his Imperij Romano-Germanici terris monetam ut plurimùm ex auro, & argento conflari videmus. Etenim his tantummodo metallis regulariter uti in Ordin. Monet. de anno 1559. & in Receſs. Imp. de annis 1566. & 1570. conceſſum eſt, idque ligâ, & pondere ibidem determinato.

18. Meminiſſe jam penè oblitus eram reperiri quoque gentem, quæ non tam pro materia monetæ, quàm

pro moneta ipſa oſſib9 utitur emortuorum: quæ autem gens ea ſit, ſi libet, conſule Abrahamum Ortelium, ad quem & me R. P. Benignus Kibler S. I. Sacerdos in dem Wunder-Spiegl Parte 1. Tract. 1. mihi fol. 107. dirrigit inquiens: Daß ein Volck / von welchen Abrahamus Ortelius ſchreibt / vnter dem Himmel gefunden wird / welches die Todten-Beiner an ſtatt Gold / vnd Silbers brauchet; darmit kaufft / vnd verkauffet.

Dixi ſuperiori Num. 17. regulariter & ut plurimùm in Rom. Germanico Imperio monetam ex auro, & argento conflari. Hinc eſt

SEC-

SECTIO IV.

An aliquando in Imperio Romano aliud quidpiam, præter aurum, & argentum pro materia monetæ ſubſervire poſſit? & quid tunc Juris?

Summaria.

1. *Neceſſitatis tempore numi fieri poſſunt ex ære, ſtanno, corio, charta.*
2. *Sed mutatis temporibus reluendi ſunt.*
3. *Probatur Exemplo Friderici Imp.*
4. *Item exemplo Melitæorum.*
5. *Præterea exemplo Eneci Lupid. Com. Tendilliani.*
6. *Porro exemplo Dominici Michaëlis Ducis Venetiarum.*
7. *Eodem modo exemplo Friderici Auguſtini II.*
8. *Demum exemplo Leydenſium.*
9. *Idipſum probatur ratione.*
10. *Numi vilioris materiæ devalorationi ſunt obnoxij.*

11. *De eſſentia numi eſt, ut illius bonitas intrinſeca extrinſecæ bonitati correſpondeat.*

12. 13. 14. 15. 16. *Quod probatur LL. Gloſſ. Ex Ariſtotele, & univerſali conſuetudine.*

1. EXtremâ neceſſitate exigente æneos, ſtanneos, coriaceos, imò & chartaceos numos etiam in Imperio Romano-Germanico fieri poſſe nihili dubitandum, ſiquidem hujuſmodi in uſu fuiſſe, paſſim legere eſt; nominatim verò apud Hermanum Hermetem in Faſciculo Juris Publici Cap. 35. Num. 58. Verùm hujuſmodi numos meliùs *abaculos* (ſeu ut vulgò loqui-
2. mur *tantos*) dixero: quia eoſdem cum eodem Herm. Hermete loco cit. cum Sigiſm. Scaccia in tractatu de

de commercijs, & cambio §. 2. Gloſ. 3. Num. 58. cum Caſpare Klockio de ærario lib. 2. cap. 48. Num. 31. & 32. imò cum communi doctorum mutatis temporibus, & neceſſitate ceſſante permutandos, poſſidentibus bonam monetam ſolvendam, & ſic damna reſarcienda, aut aliàs quoquo modo ſine damno
3. populi extinguendam cenſeo. Et imprimis quidem cenſere inducor exemplis edoctus: primum eſt Friderici Imperatoris, qui cùm (teſte Maiolo in diebus canicularibus Tomo I. Colloquio 23. mihi fol. 426. *Celeſtino quarto Pontifice anno Domini* 1241. *in Italica expeditione pecuniâ deſtitueretur, inijt conſilium, ut ex corio pecunia conficeretur militibus eroganda, ſignatâ ex una parte aquilâ,*

 ex

ex altera ejus imagine, cujus precium auro rependeretur, cùm poſtea opes, aurumque ſibi ſuppeteret.

4. Exemplum ſecundum eſt Melitæorum, qui tempore obſidionis, & belli cum inimiciſſimo Chriſtiani nominis hoſte Turcâ monetam percuſſerunt æneam, tunc quidem expendendam valore argenteæ, poſtmodum verò argenteâ reluendam, inciſis præter valorem æri improportionatum hiſce verbis: *Non æs, ſed fides.* Id quod Sigismundus Scaccia in Tract. de commercijs, & cambio §. 2. Gloſ. 3. Num. 85. commemorat.

5. Exemplum tertium eſt, quod enarrat Caſpar Klockius de Ærario lib. 2. cap. 145. Num. 23. inquiens: *Enecus Lupides Comes Tendillianus in bello Gra-*

Granatenſi Almæ urbi præfectus in ſumma rei pecuniariæ deſperatione dum expectaret pecunias à Rege Ferdinando, & Regina Iſabella, ex charta panucea fecit ſchedulas ſuâ manu propriâ, atque ſubſcriptione ſignatas, quasdam vocans aureos, argenteos numos, æreos aſſes, ſemiſſes, trientes, quadrantes. Hiſque inter ſe emptiones, & commercia facta ſunt, pollicitus ſe daturum pro illis fictitijs varias pecunias poſt receptionem.

6. Non abſimiliter (quòd eſt exemplum quartum) egit Dux Venetorum Dominicus Michaël claſſe Tyrum obſidens, eodem Klockio ibidem ex Sabellico ſic atteſtante: *cùm pecuniæ defectu ſtipendium reddi nequiret remigibus, & ſocijs navalibus, ex loro pecuniam publicâ formâ ſignavit,*

quam pro aurea, & argentea certis diſtinctam characteribus in ſtipendium navalibus numeravit, turmis pollicitus fore, ut mox domi pro alutinis aurei, & argentei pari numero habentibus repræſentarentur numi. Quod & factum eſt.

7. Exemplum quintum eſt, quod exemplis ex Klockio deſumptis Chriſtophorus Pellerus in annotationibus ad cit. Klockij lib. 2. cap. 145. Num. 23 ex Collenutio Neapolit. hiſtoriæ lib. 4. adjungit hiſce formalibus: *Similiter aſſidebat Fridericus Auguſtinus eo nomine ſecundus Faventiæ in Flaminia, duriſſimâ hyeme: deerat in ſtipendium pecunia, & milites paſſim dilabebantur: obſidionem ſolvere turpe erat, & grave; perſeverare difficile. Pecuniam ex corio ſignavit*

vit aurei numi valore, quâ arte ex ijs anguſtijs evaſit. Urbe ſubditâ quod erat pollicitus coriaceos numos aureis totidem mutavit,

8. Ultimum demum exemplum eſto itidem à Pellero ibidem ex Meurſio in Athenis Batavis lib. 1. cap. 22 ſuggeſtum: *ne*, inquit Pellerus, *in famoſiſſima illa obſidione Leydenſi (quæ incidit in annum* 1573. *) pecunia deeſſet, è papyro in priori obſidione pridem cuſam revocarunt, quam mox etiam liberati in argenteam commutârunt.*

9. Præterea etiam in ſupradictam ſententiam movet, ne dicam trahit ratio, quòd iniquum ſit, ſeclusâ ſpe refuſionis damnorum ſubditos ad receptionem hujuſcemodi numorum adigere, qui paulò poſt, aut omnino nihil, aut ſine comparatione

10. minùs ſunt valituri : quoniam valor monetæ (qui bonitas extrinſeca eſt) non correſpondens bonitati intrinſecæ (id eſt materiæ quo ad ſui bonitatem, & quantitatem, ſive pondus) devalorationi, vel ipſâ experientiâ teſte obnoxius eſt. Quis etenim (excipe, ſi fortè non nemo raritatis gratià, aut pro memoria quid ſimile ambiat) Quis etenim, inquam, hodie eos, quos olim ſola produxit neceſſitas, in precio habeat, aut alijs obtrudere præ-
11. ſummat numos? Eſt itaque natura & eſſentia numi, ut bonitas extrinſeca intrinſecæ correſpondeat
12 bonitati. Ita etiam l. 1. ff. de contrahenda emptione ibi ; *electa materia eſt, cujus publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqua-*

æqualitate quantitatis ſubveniret.
13.Item Gloſ. in eadem l. verb. *præbet*, ibi: *tantùm valet unus numus, quantùm argenti tantundem in maſſa.*
14.Quod & probat Ariſtot. lib. 1. Politicorum cap. 9. qui ſignationis effectum hunc tantùm eſſe indicat: *ut labore metiendi, ac ponderandi de-*
15.*fungamur.* Ad hæc facit etiam Lex. 1. Cod. de veteris numiſmatis poteſtate, quæ dum jubet ſine refragatione pecuniam ſuſcipi ab ementibus, & diſtrahentibus *modò ut debiti ſit ponderis & ſpeciei* (id eſt materiæ) *probæ*, etiam inſinuat abſque materia bona, & valori proportio-
16.nata pecuniam eſſe non poſſe. Demum quoque adſtipulatur communis doctrina DD. imò & univerſalis conſuetudo jam dudum toto in or-

be

beChriſtiano recepta, per quam materia valori æqualis, ac ſolùm in tantum inferior requiritur, in quantum circiter expenſæ, quas in ſignanda moneta fieri neceſſe eſt, excreſcunt.

Occaſione dictorum, & quod ærea, ſtannea, aliæve hujuſmodi monetæ in neceſſitate cuſæ, ceſſante neceſſitate permutandæ ſint, nova occurrit quæſtio, pro qua ſit

SECTIO V.

An non ſaltem in neceſſitate auro, & argento aliquid æris, aut alterius metalli admiſcere liceat? ita ut priſtinus valor maneat, & mixtura hæc obligationem permutationis non inducat.

Sum-

Summaria.

1. *Refertur exemplum admixtionis factæ.*
2. *Defectu debitæ ligæ multæ monetæ devaloratæ ſunt.*
3. *Non exemplis, ſed legibus judicandum.*
4. *Non licet materiam monetæ heterogeneis vileſacere.*
5. *Cur olim Trium-viri monetales conſtituti?*
6. *Quod fuit eorum munus?*
7. *Lex mixtionem prohibens ſummis damnis præcavet.*
8. *Jure monetandi non ut quæſtu, ſed ut regali utendum.*
9. *Admixtione heterogenei quæſtus exercetur.*
10. *Ligæ determinatio excludit facultatem liberè in mixtione heterogeneorum agendi.*
11. *Intrinſeca, & extrinſeca bonitas æqualis eſſe debet remiſſivè.*
12. *Neceſſitatis caſum non facere licitam mixtionem heterogenei vilioris, objectionis ſolutione oſtenditur.*
13. *Alia objectio proponitur.*
14. *Ejus ſolutio remiſſivè.*

15. Non

15. *Non omnis omnino mixtio eſt reprobanda.*
16. *Sed quæ præſcriptum Ord. monet. & Receſ. Imp. tranſcendit.*

1. SI exemplis judicandum, & reſpondendum foret, videretur dicendum, quòd de heterogeneis vilioribus metallis argento, & auro in caſu neceſſitatis aliquid immiſceri poſſit, manente priſtino ordinario, & futuris temporibus conſtanter duraturo valore: nam ut Plinius Author eſt lib. 33. cap. 3. *Livius Druſus in tribunatu plebis octavam partem æris argento admiſcuit*, nec legimus hujuſcemodi numos poſtea unquam melioribus numis
2. permutatos fuiſſe. Quid de hodiernis nonnullis monetæ ſpeciebus depravatè ſine neceſſitate cuſis dixero!

xero! de quarum permutatione ne cogitatur quidem: non obſtante, quòd ob tales in liga adeo depravatos, atque ideo in regnis, ac provincijs domui Auſtriacæ hæreditarijs vigore generalium de dato 28. Novembris anni 1692, & 19. Januarij anni 1693. pro octava, in quibusdam Imperij ditionibus prouti Norimbergæ reſpectivè etiam pro ſexta, & quarta parte, quin & quosdam omnino reprobatos numos, irreparabile damnum neminem non pati palam ſit, ac manifeſtum.

3. Cùm autem *non exemplis, ſed legibus judicandum ſit* leg. 13. Cod. de ſententijs & interlocutionib9 omnium judicum, videtur potiùs dicendum,

4. quòd non. Lege enim Juliâ per Leg. 1. ff. Ad Legem Juliam peculatûs,

latûs, cautum eſt: *ne quis in aurum, argentum, æs publicum, quid indat, neve immiſceat, neve quo quid indatur, ſ. immiſceatur, faciat.* Quapropter & ut quàm optima cuderetur moneta antiquitùs Trium-viri monetales à priſcis Romanis fuerunt conſtituti; uti Legiſtis ex Leg 2. §. 30. ff. de origine Juris, alijs ex hiſtorijs & hiſtoricis, Antiquarijs autem vel ex ipſis antiquis numis notum, compertumque eſt: quorum pro multis unicum Auguſti Tribunitiâ poteſtate percuſſum (id quod ex inſcriptione AUGUSTUS TRIBUNIC. POTEST. colligitur) hìc exhibeo, in cujus averſa parte legitur: PLOTIUS RUFUS IIIVIR. A. A. A. F. F. C. id eſt Plotius Rufus Trium-vir Æri, Argento, Auro flando feriundo conſtitutus.



5. Horum Trium-virorum monetalium munus fuit, ita Guilielmo Du-Choul in Tractatu de Religione veterum Romanorum, alijſque hiſtoricis paſſim atteſtantibus *monetas conſervare, atque bene examinare, antequam cudi curârunt, nùm eſſent probæ; & poſtquàm cuſæ erant, num eſ-
7. *ſent requiſito valore.* Æquiſſima profectò, ac juſtiſſima hæc fuit proviſio; nec ſcirem, quid ſupra allegatâ lege Juliâ ſanctius ſanciri potuiſſet, cùm per eam eventuris aliàs irreparabilibus damnis præveniri

intendatur, eâque ritè, ac probè obſervatâ futuris quibuſvis poſſeſſoribus, imò & ſaluti publicæ conſulatur; tales quippe monetas, quæ intrinſeco ſui vitio laborant, ſucceſſu temporis reprobari neceſſe eſt, & proh quanto cum diſturbio & calamitate! quis non experitur, & videt hac ipſâ noſtrâ, quam vivimus, ætate, quâ verificatur illud Germanorum:

Weil man müntzt Gelt gring am fein/
Leidet Schaden Groß/ vnd Klein.

Aſt ne cui fortè dicta Lex. 1. antiquata, & exoleta, ac ſolum modo Romanis olim ſcripta, nequaquam verò etiam Romano-Germanos obligare videatur, hinc annectere libuit Receſ. Imp. de anno 1570. §. 132. 8. ubi hæc leguntur: Alsdann auch die

die Müntz-Gerechtigkeit kein Mercantz / ſonder vnſer Kayſer-Regal, ſo die Müntz-Stände auß vnſern ſondern Vertrauen / nicht zu ihren ſelbſt geſuchten Vortheil / ſondern wie wir ſelbſt / dem Heil. Reich zu Ehren / vnd Wolfahrt brauchen ſollen. Si ergo jus monetandi mercatura non eſt, ſed regale Cæſareum, quo pro honore, & bono S: Rom. Imperij, non ad quæſtum faciendum alijs uti clementiſſimè
9. conceſſum eſt: Quis dixerit numis quidpiam vilioris metalli ultra, ac cautum eſt, admiſcere licere? cùm taliter ijs, qui hiſce numis uti neceſſe habent, damnum; ijs verò, qui procudi faciunt, quæſtuoſum lucrum inferatur.

10. Adhuc clariùs hac in re proviſum,

& ad propoſitum deciſum reperio in Ordinat. Monet. Ferdinandi Imperatoris de anno 1559. §. 3. 4. 5. & ſeqq. ubi poſtquam præſcriptum, quot corpora unius, & alterius generis monetæ ex marcha confici debeant, ſemper additur: **Vnd ſollen fein halten vierzehen Loth / ſechzehen Gren** / vel **ſollen fein halten acht Loth**: vel **ſollen fein halten ſechs Loth / vier Gren.** Quæ ligæ determinatio, quid amabò aliud ſibi vult, quàm ut aliam ligam nequaquam inducere ſibi quiſquam præſummat.

11. Huc etiam faciunt dicta in proximè præcedenti Sectione Num. 11. 12. 13. 14. 15. 16. quòd nimirum neceſſe ſit intrinſecam, & extrinſecam numi bonitatem correſpondere: nequaquam autem eſſet coreſpon-

den-

dentia ad invicem, ſi idem eſſet valor monetæ in liga melioris, ac in liga vilioris.

12. Dices præcitatam legem, Receſ. Imp. & Ordinat. monet. non debere, nec poſſe trahi ad caſum neceſſitatis, quæ legem non habet; ac proinde loqui tantummodo de temporibus, quibus proſperè omnia, & ad vota fluunt. Verùm reſpondeo: ubi eadem ratio militat, ibi etiam idem jus ſtatuendum eſt. L. illud ff. Ad Legem Aquiliam: atqui eadem ratio militat uno, ac altero tempore, nam ſemper tales monetæ ſui aliquando futuram devalorationem nulli non nocivam, & damnoſam poſt ſe trahunt, & adinſtar mercaturæ cudenti lucrum afferunt quæſtuoſum. Deinde ſi

tanta neceſſitatis habenda eſſet ratio, nec ſupradicti abaculi, ideſt coriacei, chartacei, alijque hujuſmodi numi eſſent permutandi, quos tamen permutandos ſectione proximè præcedenti & aſſerui, & probavi.

13. Inſtabis Poteſt ſuadente aliquâ neceſſitate numi valor augeri, aliquando iterum ad inferiorem, & priſtinum valorem deſcenſurus; quemadmodum percuſſas in hæreditarijs Domui Auſtriacæ Regnis, & provincijs monetas, quas Germani Sechſer à ſex, & Fünffzechner à quindecim cruciatorum, ſeu cruciferorum, vulgò Kreutzer dictorum valore dicimus, ex primo menſis Aprilis anni 1693. reſpectivè ad ſeptem, & ſeptemdecim, ac paucis pòſt

pôſt menſibus planè ad octodecim cruciatos, ſeu cruciferos exaltatas vidimus, & proximè priſtino valori reſtituendas credimus: ergo etiam auro, & argento aliquid æris, aut alterius metalli admiſceri poteſt: quia ſicuti in quantùm præmemoratarum monetarũ precium nunc adauctum eſt, in tantùm etiam illarum aliquando iterum fiet diminutio; ita quoque devaloratio monetæ, quæ quid de alijs metallis heterogeneis vilioribus admixtum habet, non poteſt fieri in minus, niſi quantum illa admixtio minus
14 valere facit. Ad hæc patebit reſponſio infra ſectione nonâ, in qua proponetur, & reſolvetur quæſtio: an conſultius ſit neceſſitatis tempore, & in defectu pecuniæ, valorem

illius in liga, & pondere cæterùm bonæ ultra ſolitum augere, aut potiùs monetam novam ligâ, & pondere, aut horum alterutro deteriorem ſervato valore ordinario procudere?

15. Quæ nunc de admixtione dicta ſunt, nolim ita crudè intelligas, ut planè nihil alterius heterogenei metalli adeſſe, ſed ſemper aurum obryzum, & argentum poſtulatum debeat adhiberi; novi enim vix reperiri metallum ab alio metalli genere omnino deſæcatum; novi etiam & arti, & utilitati publicæ ſtabilioris uſuræ, & attrectationis gratià aliqualem mixturam expedire; novi tandem etiam in Ordinat. Monet. de anno 1559. in Receſſ. Imp. de annis 1566, & 1570. certam ligam,

gam, id eſt determinatam mixtu-
16. ram eſſe præſcriptam: dicta itaque intellige de admixtione ultra in Ordinat. monet. & receſſibus Imperij præſcriptam, & ſupra Num. 10. inſinuatam ligam: exceſſivam enim tantùm admixtionem conſtanter reprobandam, ſicuti econtra Imperij ligam intuitu expenſarum, quæ in cudenda moneta fiunt, æquam eſſe cum communi DD. conſtanter aſſero; cùm nemo proprijs expenſis numos ſignare teneatur, neque etiam regale monetandi damno eſſe debeat. Atque hinc æquiſſimè Receſſ. Imp. de anno 1551. §. 46. iſthæc inſerta ſunt verba vorbehältlich in den wenigern Müntz-Sorten deß gebührlichen Müntz-Koſtens. SEC-

SECTIO VI.

De primo numi inventore.

Summaria.

1. *Numi inventionem quidam attribuunt Caino, & quare?*
2. *Cur eandem alij Tubalcaino adſcribant?*
3. *Noëmum inventorem aſſerentes quo fundamento nitantur?*
4. *Quam cauſam proferant ſtantes pro Saturno?*
5. *Refertur quoſdam pro Thare, alios pro alijs ſtare.*
6. *Placet ſententia Macrobij pro Jano verè bifronte.*
7. *Datur ratio.*
8. *Homines bicipites naſci ſæpiùs contigit.*
9. *Referuntur bini hujuſmodi partus.*
10. *Nec ſententia Macrobij indubitata eſt.*
11. *Sententia pro Noëmo, aut Saturno arguta, & veriſimilis.*
12. *Quæ pro Tubalcaino eſt, vacillat.*

13. Abſ-

13. *Abſque fundamento numi inventio Caino adſcribitur.*
14. *Pecuniæ nomine veniunt etiam res omnes.*
15. *Quædam Fl. Joſephi verſio facultatum, non pecuniæ meminit.*
16. *Antiquiſſimum eſſe numi uſum ſacra ſcriptura docet.*

1. QUis omnium primus pecuniam invenerit? quæſtio admodum dubia, & incerta eſt, nec niſi ab Oedipo reſolvenda. Sunt, qui attribuunt Caino Ædæ Protoplaſti primogenito, qui ex nonnullorum verſione à Flavio Joſepho Antiquitatum Judaicarum Lib. 1. Cap. 2. deprædicatur *augens rem familiarem copiâ pecuniarum per rapinam, ac vim congeſtarum ad luxum, & latrocinium ſuos aſſeclas invitans.*

2. Alij Tubalcaino quinto in linea Caini

ni deſcendenti, quòd fuerit *mallea-tor, & faber in cuncta opera æris* Gen. 3. Cap. 4. Nonnulli Noah, ſeu Noëmo, eò quòd is *Janus Pater* diceretur: *Pater* quidem, utpote totius generis humani ab aquarum diluvio conſervator, & reſtaurator. *Janus* verò, quaſi *vinifer*, ab hebræo *Jain*, quod latinè interpretatum *vinum* ſignificat, cujus is primus & plantator, & potator erat. Gen. cap. 9. Eò inquam, quòd Noë Janus pater diceretur, & antiquiſſimi, ac primi numi una ex parte Janum bifrontem, ſeu Noëmum unâ facie tempora, quæ diluvium præceſſerant, & altera tempora, quæ diluvium ſubſequebantur, reſpectivè pro, & reſpicientem: quibus poſterioribus Arcæ beneficio ſervatus eſt, cujus

typus

typus roſtrum navis in averſa numi parte expreſſum. Numum cum hujuſmodi imagine jam penè detritâ ex meis unum hìc ſubjungo.



4. Quidam primum numum ſecundo Regi Latij Saturno adſcribunt, is quippe à non nullis honori Noëmi Jani, qui id temporis ſecundariò in Latium appuliſſe fertur, cudiſſe dicitur, eâ, quam jamjam retuli, & exhibui, formâ.

5. Aliqui Thare patrem Abrahami inventorem numi deprædicant: alios

alij.

alij. Hos omnes tamen divinatores potiùs, quàm aſſertores dixero: adeo ſolidi proferunt nihil.

6. Præ reliquis tamen mihi arridet opinio Macrobij Aurelij Theodoſij, qui Saturnalium Lib. 1. Cap. 7. primum præfatæ formæ numum à primo Rege Latij Jano verè bifronte, qui Saturnum claſſe ad ſe aduectum in Regni ſocietatem adſcivit, ſignatum fuiſſe refert, dum dicit: *Janus, cùm Saturnum claſſe ad ſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem, ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, Regni eum ſocietate muneravit. Cùm primus quoque æra ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat, advectus, ex una quidem parte*

ſui

ſui capitis effigies, ex altera verò navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret.

7.Hæc autem ſententia ex eo arridet, quòd hiſtoriæ de Jano, & Saturno perbellè accommodetur, aliunde etiam nihil incredibile ſit Janum, ut numus exhibet, verè bifrontem
8.fuiſſe: cùm & homines bicipites (alia hujuſmodi admiranda naturæ prodigia miſſa facio) ſæpiùs procreatos vel ſolæ etiam Ephemerides Collegij naturæ curioſorum evincant; ex quibus binos caſus al-
9.legaſſe ſufficiat: Ephemeridum anno quarto, & quinto obſervatione CLXV. D. Melchioris Fribe ſic legitur: *In pago* Gröden *ſub præfectura Haynenſi anno 1658. d. 13. Novembr. horâ ſeptimâ veſpertinâ Martha, uxor*

Han-

Hanſen Jahns *puellam vivam bicipitem duobus brachijs, & pedibus peperit.* Ephemeridum quoq; Decuriæ annorum ſecundæ anno decimo obſervatione XXXIII. D. Caroli Patini hæc habentur: *Inter alios complures, quos admiranda prodigiorum novatrix natura produxit unquam partus monſtroſos, unum ſanè, eumque mirabilem octavâ Decembris anni mileſimi ſexcenteſimi nonageſimi primi, vix uno milliari procul Patavio ruſtica peperit. Erat ſiquidem maſculus, cui capita erant abſolutiſſima duo, unumquodque cum collo ſuo &c.*

10. Sed nec dictæ Macrobij opinioni, quamvis, ut dixi, præ reliquis arrideat, in tanta rei vetuſtate intrepidè, & abſque omni omnino ſcrupulo aſſentiri auſim. Scio enim

ex

ex M. Tullio Cicerone Lib. Primo De natura Deorum in principio *temerarium eſſe, & indignum, aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere.*

11. An ſaltem (fors quiſpiam noſſe cupit) eos omnino explodam, qui pro Noëmo, aut Saturno ſtant? neutiquam. Nam ſi non indubitanter, argutè ſaltem, & veriſimiliter deducunt, & concludunt.

12. Vacillant autem Tubalcaini fautores; etenim præterquam quòd de nullo numo conſtet, qui quomodolibet ad Tubalcaini tempora referri, vel explicari poſſit, etiam omnino nihil patrocinatur generalitas verborum *in cuncta opera æris*,

E cùm

cùm iſthæc intelligenda in ſenſu accommodo, nimirum in ordine ad opera circa æs eò temporis ſolita: aliàs eodem argumento concludendum foret jam tum ænea tormenta extitiſſe, quæ tamen primùm ante 315. annos, id eſt anno ſalutis humanæ M. CCC. LXXX. â Germano quodam inventa eſſe ex Polydoro Vergilio de rerum inventoribus Lib. 2. Cap. 11. ſcimus.

13. Cadunt omnino, qui numi inventionem Caino attribuentes ſeſe in Flavij Joſephi verbis fundant, ubi pecuniarum fit mentio: nam per

14. Leg. 178. ff. De verb. ſignif. *pecuniæ verbum non ſolùm numeratam pecuniam complectitur: verùm omnem omnino pecuniam, hoc eſt omnia corpora. Nam corpora quoque pecuniæ appella-*

pellatione continieri, nemo eſt, qui am-
15 *bigit.* Taceo, quòd non omnis Flavij Joſephi verſio pecunias commemoret: Gelenio enim interprete de Caino ſic habetur: *facultates domeſticas per vim, ac rapinas accumulans, accitis undequaque latrociniorum, & nequitiæ ſocijs, magiſter illis ad facinoroſam vitam eſt effectus.*

16. Sed quidquid ſit, rejectis etiam præmemoratis ſententijs, antiquiſſimum ſaltem numi uſum vel ipſe Textus Gen. Cap. 23. verſ. 16. arguit; nam, ut inde conſtat adhuc *Abraham* pro agro quadringentis ſiclis argenti ab Ephron æſtimato, ad ſepulturam Saræ uxoris ſuæ *appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat.*

SECTIO VII.

Quando primùm Romæ ex uno, & altero metallo moneta procudi cæperit?

Summaria.

1. *Romani ab initio numorum aureorum, argenteorum, & æreorum uſum non habuerunt.*
2. *Sed ſcorteis aſſibus primùm,*
3. *Dein rauduſculis commercia exercebant.*
4. *Sub Servio Tullo primùm ſignatum eſt æs.*
5. *Argentum verò Q. Fabio Cos.*
6. *Erroris arguitur, & corrigitur locus Plinij.*
7. *Quando aurum ſignari cæptum ſit?*
8. *Poſtea æs, argentum, & aurum promiſſuè ſignabatur.*
9. *Tiberius cæſar jus auri, & argenti ſignandi Senatui ademit.*
10. *Demum etiam æs ſoli Augg. Cæſ. ſignabant.*
11. *à Romanis ad Romano-Germanicos Imperatores jus monetandi devolutum eſt.*
12. *De quorum ſpeciali conceſſione etiam ali[i] hoc jure gaudent.*

Quo

QUo tempore apud Romanos (cætera Regna, & Gentes miſſas facio) primùm moneta procudi cœperit, paucis expedio.

1 Certum eſt aureorum, argenteorum, quin imò & æreorum numorum ijſdem longo tempore nullum uſum fuiſſe, prout ex infra dicendis luculenter nemini non colligen-
2.dum erit: *Corijs verò boum numos percuſſos à primis originibus* cum Alexandro ab Alexandro Genialium dierum Lib. 4. Cap. 15. *judicare licet, quòd Numa Pompilius ſcorteos aſſes congiarium Populo dediſſe fertur.* Quòd enim æra non ſignaverit, ſupra ſec-
3.tione 2. meminimus. Scorteis igitur ab initio, & interjecto tempore etiam rauduſculis, de quibus itidem ſupra ſectione eâdem dictum eſt,

omnia commercia exercebantur.
4. Poſtquam verò Servius Tullus ſecundùm Antonij Contij Cronicos canones anno Urbis conditæ 175. ſeu ut Titus Livius author eſt, anno 176. ad Romana Regnacula pervenit, is teſte Plinio Lib. 33. Cap. 3. *primus ſignavit æs*: quo autem Regni, & Regiminis ſui anno, incertum eſt.

5. Longo tempore poſt, & quidem, ut idem Plinius Lib. & Cap. cit. habet, *Argentum ſignatum eſt anno urbis DLXXX. Q. Fabio Coſ. quinque annis*
6. *ante primum bellum Punicum.* Sed ut advertit Didacus Covarruvias Tomo 1. veterum numiſmatum collat. cap. 2. manifeſtum Plinianus hic locus errorem habet, & ideo pro DLXXX. ille legendum putat CCCC.

CCCCLXXXIII. datis rationibus, quòd is annus Q. Fabij Conſulatui conveniat juxta cronologiam Glareani, & Holoandri, & quòd primum bellum Punicum per citatos ibidem Authores initium habuerit anno ab Urbe condita CCCCLXXXIX. Sed ſi hoc anno CCCCLXXXIX. bellum Punicum cœperit, & ut habet Plinius quinq; annis ante argentum ſignatum ſit, potiùs dicendum in dicto loco Plinij pro DLXXX. legendum eſſe CCCCLXXXIV. quod & convenit Faſtis conſularibus, atque his, quæ habet præcitatus Titus Livius in Cronologia ſua.

7. *Aureus numus poſt annum LXII. percuſſus eſt, quàm argenteus.* Dicit idem Plinius loco cit. & ſic anno Urbis

8. conditæ DXLVI. à quo tempore deinceps hi, qui publicâ pollebant dignitate, & auro, argento, æri flando feriundo conſtituebantur Trium-viri, promiſcuè & aureos, & argenteos, & æreos numos, iſpiſmet numis teſtibus, percuſſerunt:
9. Donec omnium primus Tiberius ſolâ æris ſignandi poteſtate Senatui relictâ, poteſtatem auri, argentiq; ſignandi ad ſolos Auguſtos, & qui
10. cæſares dicebantur, attraxit. Quæ poteſtas, ac monetandi jus demum etiam adæquatè, & quo ad omnia metalli genera, id eſt auri, argenti, & æris ad ſolos Auguſtos Cæſares (prout infra ſectione XI.) pervenit:
11. à quibus ſucceſſu temporis in ſucceſſores, id eſt Romano Germanicos Imperatores eſt derivatum: penes

nes quos etiamnum tanquam rega-
12. le reſidet, non uſurpandum ab alijs, niſi de ſpecialiſſima conceſſione. Receſſ. Imp. de anno 1570. §. Alsdann auch 132. in verbis: Alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit kein Mercantz/ ſonder unſer Kayſer-Regal, ſo die Müntz-Stände auß unſern ſondern Vertrauen ꝛc. brauchen ſollen.

SECTIO VIII.

Gaudeatne jure monetandi inclytus Ducatus Carnioliæ?

Summaria.

1. *Qui hodie in Imperio Romano-Germanico jure monetandi potiantur? remiſſivè.*
2. *Hoc jure gaudet etiam Ducatus Carnioliæ:*
3. *Quod probat* die Lands-Hand-Veſt.
4. *Hoc jus per non uſum non amiſiſſe probatur.*

 5. *Qui*

5\. *Qui præſcribit jus monetandi, cumulativè, non privativè præſcribit.*

1\. QUi, quotve illorum ſint, quibus monetandi jus in his Romano-Germanici Imperij terris ſeu per clementiſſimam conceſſionem, ſeu etiam fortaſſis ex legitima tantùm præſcriptione competit, recenſendo excurrere propoſiti hodie non eſt: idcirco curioſum lectorem ad Leonardi Wilibaldi Hoffmanni, & ad C. L. Lucij tractatus, quorum primi Alter / und Neuer Müntz-Schlüſſel / alterius verò Neuer Müntz-Tractat inſcribitur, remitto, ubi ex ibidem adjunctis ſchematibus, etſi non omnes, certè quàm plurimi monetarij
2\. domini inveniri poterint. Pro nunc tamen reticere, quòd hoc ipſo

ſo jure monetandi etiam inclytus Ducatus Carnioliæ gaudeat, ſemi-
3.reatum duxi. Gaudet: aſt ne verbis tantùm id aſſerere videar, audi Lands-Hand-Veſt deß Hertzogthumbs Crain in den Augſpurgiſchen libell mihi fol. 88. ubi petitio ita ſonat: Iſt der Landſchafften (ideſt Oeſterreich vnter/ vnd ob der Ennß/ Steüer/ Karnten/vnd Crain) vnterthänig bitten/ die Kayſerliche Majeſtät wollen diſe Lande/ jedes mit beſtändig guter Müntz/ ſo andern vmbligenden Landen/vnd Fürſtenthnmben Müntz an dem Korn/ vnd Werthe gleichmäſſig ſey/ ſchlagen vnd auffrichten laſſen. Huic petitioni ſubſcriptum eſt; habetur enim ibidem fol. proximè ſequenti: Auff diſen Articul mag die Kayſerl. Maje-

Majeſtät leiden/ vnd verwilligt/ daß die Landſchafften darvon reden/ vnd jhrem Gutbeduncken nach handlen/ vnd ein beſtändige Müntz auffrichten.

4. Sed hìc fortè non nemo arg. Leg. 1. ff. de nundinis ductus Ducatum Carnioliæ ob non uſum jus monetandi amiſiſſe dixerit. Verùm ſecundùm ea, quæ habet honorandiſſimus meus quondam in Jure utroque Profeſſor D. Joannes Chriſtophorus Schambogen in ſuis prælectionibus publicis ad Lib. 1. Inſtitut. Tit. 2. §. 5. videtur, quòd non: licet enim per non uſum regulariter privilegia ammittantur, ait tamen *excipienda eſſe illa, quæ abſolutæ gratiæ ſunt, in nullius gravamen cedentes*: cujuſmodi & jus monetandi

eſt.

eſt. Cur autem per merum non uſum iſthæc nunquam amitti videantur, argumento eſt, quod *viâ præſcriptionis non, quia nemo eſt, qui præſcribat, nec viâ renunciationis, quia in libera facultate eſt uti, vel non uti.*

5. Dices: Præſcriptione jus monetandi obtineri poteſt, ergo & amitti. Reſpondeo omnino etiam præſcriptione obtineri poſſe, aſt non privativè, ſed cumulativè; nec etiam adverſus principali conceſſione jus monetandi habentem, ſed adverſus principem ipſum talis præſcriptio procedit. Quapropter ſtante tantummodo ſub his diſtinctionibus antecedenti, patet per ſe falſitas conſequentiæ.

SECTIO IX.

An is, qui jus monetandi principali conceſſione, aut præſcriptione obtinuit, neceſſitatis tempore, & in defectu pecuniæ valorem illius in liga, & pondere cœterùm bonæ ultra ſolitum augere, vel etiam monetam novam ligâ, & pondere, vel horum alterutro deteriorem ſervato valore ordinario procudere valeat? & utrum horum conſultius?

Summaria.

1. *In intrinſeca æquè, ac extrinſeca numi bonitate ſæpiùs mutationes evenerunt.*
2. *Proferuntur bina exempla vileſactæ ligæ ex Plinio.*
3. *Ex eodem adducuntur exempla ponderis imminuti.*
4. *Recenſetur ex Ariſtot. factum Dionyſij Syracuſ. valorem monetæ duplicantis.*

5. *Enar-*

5. *Enarratur quale, quantumque fuerit Imperialis unius incrementum circa finem prioris, & initium currentis ſæculi.*

6. *Trifariam dividitur propoſita ſectionis quæſtio.*

7. *Monetæ valorem non exaltat niſi habens poteſtatem legislativam.*

8. 9. 10. *Probatur auth. Ariſtot. & argumentis.*

11. *Neque pondus, neque liga numi licitè minuitur.*

12. *Probatio ratione ligæ remiſſivè.*

13. *Pondus numi leviari non poſſe probatur ex Cap. Quanto* ☿. *de jurejurando.*

14. *Idem probatur ex Ordin. monet. Ferd. Imp.*

15. *Præterea probatur ratione.*

16. *Demum leg. 1. Cod. de veteris numiſmatis poteſtate.*

17. *Conſultius eſt monetæ bonitatem extrinſecam exaltare, ac intrinſecam diminuere; & cur hoc?*

18. *Datur ulterior ratio.*

Non

NOn de facto, ſed de jure, & ſic non quid fiat, ſed quid fieri debeat, poſſitue, quæritur. Aſt verò quamvis tantùm quid fieri debeat, aut fieri conſultius poſſit, principaliter in quæſtione ſit, attamen & quid aliquando factum fuerit, accidentaliter recolere, non omnino ingratum fore ſuſpicor.

1. Certum eſt tam hoc, ut moneta ligâ, & pondere ſolito deterior, ſervato valore priſtino cuderetur; quàm etiam hoc, ut valor monetæ Ordinariæ extraordinariè augeretur, jam pridem, & ſæpiùs eveniſſe.

2. Bina exempla monetæ in liga deterioratæ ex C. Plinij Secundi lib. 33. innoteſcunt: & primum quidem cap. 3. ſecundum verò cap. 9. jam fati libri enarratur. Priori loco Plinius

nius citatus ſic loquitur: *Livius Druſus in Tribunatu plebis octavam partem æris argento admiſcuit.* Poſteriori capite autem ita habet: *Miſcuit denario Trium-vir Antonius ferrum, miſcuit æri.*

3. Idem etiam Plinius dicto Lib. 33. Cap. 3. author eſt monetam priſtino ſuo pondere defraudatam, & alleviatam fuiſſe; ait etenim: *Pondus æris imminutum bello Punico primo cùm impenſis Reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque, ut aſſes ſextantario pondere ferirentur: ita quinque partes factæ lucri.* Et paulò poſt iterum: *Poſtea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore aſſes unciales facti. placuitque denarium XVI. aſſibus permutari: quinarium octonis: ſeſtertium*

quaternis: ita reſpublica dimidium lucrata eſt.

4. Ariſtoteles autẽ extraordinarium nobis ordinariæ olim monetæ augmentum palam, manifeſtumque facit. Hoc ſiquidem atteſtante Oeconomicorum Lib. 2. Dionyſius Syracuſanus, cùm cives mutuò datam repoſcerent pecuniam, omne ad ſe argentum deferri juſſit, *allato autem argento percuſſit numum ita, ut denarius unus æſtimaretur duobus.*

5. Sic etiam, ut plura, quæ paſſim in authoribus, & Receſs. Imp. legere licet, miſſa faciam; ſic, inquam, etiam uti reperio in adnotatione quadam Auguſtæ Vindelicorum anno 1632. impreſſa, Imperialis (Germanis Reichs-Thaler dicitur) qui prioris ſæculi anno 82. 83. 84. 85. &

85. & 86. floreno uno, & cruciferis ſolummodo octo conſtitit, anno 1587. valoris ſui incrementum habuit crucifero uno: etenim expēdebatur jam fato An. 1587. fl. 1. Cr. 9.

crevit deinde ulterius

Anno 1590. - - uſq; ad	1.	10.
Anno 1594. - - uſq; ad	1.	11.
Anno 1596. - - uſq; ad	1.	12.
Anno 1603. - - uſq; ad	1.	14.
Anno 1605. - - uſq; ad	1.	15.
Anno 1607. - - uſq; ad	1.	16.
Anno 1608. - - uſq; ad	1.	20.
Anno 1609. - - uſq; ad	1.	24.
Anno 1613. - - uſq; ad	1.	26.
Anno 1614. - - uſq; ad	1.	28.
Anno 1615. - - uſq; ad	1.	30.
Anno 1618. - - uſq; ad	1.	32.
Anno 1619. - - uſq; ad	1.	48.

		fl.	Cr.
An. 1620.	Menſ. Feb. uſq;ad	2.	4.
	Menſ. Jun. uſq;ad	2.	8.
	Menſ. Nov. uſq;ad	2.	20.
An. 1621. Menſ.	Feb. uſq; ad	2.	24.
	Mar. uſq;ad	2.	30.
	Apr. uſq;ad	2.	36.
	Maj. uſq;ad	2.	48.
	Jun. uſq;ad	3	6.
	Jul. uſq;ad	3.	15.
	Aug. uſq;ad	4.	---.
	Sep. uſq; ad	4.	30.
	Oct. uſq;ad	5	---.
	Nov. uſq;ad	5.	30.
	Dec. uſq;ad	6.	30.
An. 1622. Menſ	Jan. uſq;ad	7.	30.
& demum Menſe Feb. ejuſd. Anni imperialis unius valor exaltatus eſt uſq; ad - - -		10	

Sileo

Sileo de incrementis alterius generis monetarum, quamvis ijsdemmet temporibus acciderint; etenim omnia huc congerere quid ſuperfluum fore, econtrà autem vel in ſolo etiam imperiali tantum, totieſque tam brevi temporis ſpacio factum augmentum oculis lectoris me propoſuiſſe ſufficientiſſimum exiſtimavi. Manum proinde de tabula.

6. Propoſitam quæſtionem quod attinet, eandem in tres quæſtiones diſpeſco, ut prima quæſtio ſit: an is, qui præſcriptione, vel principali conceſſione jus cudendi monetam nactus eſt, eandem ex cauſa ultra ſolitum augere valeat? Secunda quæſtio: An tali monetario Domino novam monetam ligâ, & pondere,

re, aut horum alterutro deteriorem ſervato valore ordinario procudere fas ſit? Tertia demum quæſtio: Quid horum fieri ſit conſultius?

7. Ordine ad ternas haſce quæſtiones, & quidem ad primam cum diſtinctione reſpondeo: aut gaudet talis quiſpiam poteſtate legislativâ præter jus monetandi ſibi conceſſum, ſeu præſcriptum, aut non gaudet: ſi primum, dico eum ex cauſa valorem ultra ſolitum augere poſſe; ſi ſecundum, conſtanter

8. nego. Ratio autem eſt, quòd ut dixi ſuprà ſectione ſecunda Num. 14. numus *apò tû nómu*, id eſt à lege nomen ſortiatur, ac lege valeat, id quod valet: Sic enim Ariſtoteles Lib. 5. Ethicorum Cap. 8. *Ex hominum quaſi compacto, & convento, quodam-*

dammodo ſucceſſit numus, atque ob hanc cauſam nómisma vocatur à græcis apò tû nómu, id eſt à lege: quia non naturâ, ſed lege valeat, ſitque in nobis ſitum, eum immutare, inutilemque reddere.

9. Deinde numi valor non aliter augmentatur, ac obligando, adſtringendo, & imperando, ut ſcilicet ille numus, qui exempli gratia priùs expendebatur, & accipiebatur pro 6, aut 15. ex poſt expendatur, & accipiatur reſpectivè pro 7. & 18. Atqui legis virtus hæc eſt obligare, adſtringere, & imperare per Leg. 1. 10. & Leg. 7. ff. de legibus, ergo. Hinc etiam fit, quod ſolummodo ibi, ubi qui valorem numis auxit, legem dicere valet, numus tanti expendatur, & acceptetur; quanti is eum vult expendi, & acceptari: nec ultra

 obli-

obligatio hæc ſeſe extendit, utpote, quod *extra territorium jus dicenti impunè non pareatur*, per Leg. fin ff. de juriſdictione.

11 Ad ſecundam quæſtionem dico nequaquam licere monetam ligâ, & pondere, aut horum alterutro ſolito deteriorem manente ordina-
12 rio valore procudere. Quod quidem quo ad ligam jam probatum eſt ſuprà ſectione 5. quo me, ut
13 brevior ſim, refero: Quo ad pondus autem aſſertum probo primo ex Cap. Quanto ☿ de jurejurando, in quo ſummus pontifex Innocentius tertius Arragoniæ Regi, qui monetam patris ſui uſque ad certum tempus ſe conſervatum juravit, conſuluit, & mandavit, *ut reprobatâ monetâ, quæ à legitimo pondere fuerat defraudata*,

ta,

ta, alia ſub nomine patris moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducat. Ubi parentheticè, & obiter notandum ideo dici aliam monetam patris nomine cudendam, ut vel ſic juramento ſaltem quadamtenus ſtetur, cùm ei adæquatè ſtare ſit illicitum. Si ergo moneta ſuo debito deſtitúta pondere, eaque jam pro priori cuſa, nihilo obſtante juramento in contrarium, attamen reprobanda, & nova ad legitimum pondus reducenda: quidni jure merito dixerim monetam levioris, ac par eſt ponderis hodie procudere non licere.

14. Id quod porrò, & pro ſecundo probatur ex Ordin. monet. de anno 1559. ubi in §. 2. & ſeq. Imp. Ferdinandus I. per expreſſum jubet,

das eine gemeine Reichs-Müntz/ im Namen/ Stück/ vnd Gehalt/ auf ein fein Marck Silbers / Göllniſch Gewicht geſetzt / vnd außgetheilt werden ſoll / nach volgender Geſtalt. Zum erſten / im Stuck / daß ein Reichs-Gulden / oder ſechzig Kreutzer gelten / ſollen auff die Göllniſch Marck gehen / zehenthalb Stuck. Et ſic de cæteris. Non autem divideretur ſecundum præſcriptum jam fatæ ordinationis, ſi levioris ponderis moneta fieret, quia plura corpora, ac novem cum dimidio ex marcha conficerentur, aut certè ſi plura non conficerentur corpora, ſaltem materiæ tantùm quantùm ultra illa novem cum dimidio remaneret. Idipſum eſt in reliquis monetæ ſpeciebus. Huc etiam an-

annectere libet confirmationis gratià ejuſdem ordinat. Monet. §. 31. cujus tenor hic eſt. Hierauff ſetzen/ ordnen / vnd wollen Wir / rc. daß hinfürter im Reich Teutſcher Nation kein Müntz-Herr rc. einige andere Sorten/oder Stück der Müntzen rc. dann wie die hierobẽ in diſen Vnſern Kayſerlichen Edict bemeldet / benannt / vnd außdrucklich fürgeſtellt / müntzen / ſchlagen / machen/ oder an ſtatt einiger Bezahlung außgehen laſſen ſoll / rc. his verbis utique ad intentum nihil clarius.

15. Eadem aſſertio probatur tertio: Si valor numi ſolitus permaneret, quantitas autem, & pondus numi diminueretur, numi bonitas extrinſeca (id eſt valor) bonitati intrinſecæ (id eſt materiæ quo ad ſui quan-

quantitatem, ſeu pondus) non correſponderet: atqui bonitas extrinſeca cum intrinſeca correſpondere debet, ergo. Majorem propoſitionem vix aliquis negaverit, utpote lumine naturæ notam, hinc probatione non eget: Minorem verò probat Paulus in Leg. 1. ff. de contrahenda emptione. Gloſ. ibid. in verbo *præbet*. Ariſtoteles Lib. 1. Polit. Cap. 9. & quæ præterea paullò fuſius dicta ſunt in ſectione quarta Num. 7. uſque ad finem, quæ ibi vide.

16. Poſtremò pro hac ſententia ſtant ipſimet Sacratiſſimi Imperatores Valentinianus, & Valens in Leg. 1. Cod. de veteris numiſmatis poteſtate Germano Præfecto Prætorio ſic reſcribentes: *Solidos veterum prin-*

cipum

cipum veneratione formatos, ita tradi, ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur, modo ut (en quàm bene ad propoſitũ) *debiti ponderis ſint, & ſpeciei probæ.*

7.Binis hiſce reſolutis quæſtionibus quivis facile conjecturaverit; quid reſponſurus ſim ad quæſtionem tertiam : nempe neceſſitatis tempore monetæ cæterùm bonæ valorem ultra ſolitum augere conſultius utique eſſe, ac novam ligâ & pondere, aut alterutro horum deteriorem procudere. Siquidem ex ijs, quorum unum omnino, & quovis tempore illicitum, alterum autem ſaltem ſuo tempore licitum eſt, iſthoc præ illo utiq; neceſſitatis tempore conſulendum erit.

18.Aſt

18. Aſt eſto (in falſa hypotheſi loquor) eſto, inquam, æquè unum, ac alterum ex cauſa licitè fieri poſſe: attamen indubitanter exiſtimo potiùs valorem monetæ ligâ, & pondere bonæ augmentandum, quàm monetam novam priori quomodolibet deteriorem cudendam eſſe, ex ratione, quòd id potiùs eligendum ſit, quod quàm minimè nocivum videri poteſt: veriſſimum autem eſt augmentum monetæ aliàs bonæ non tam, quàm diminutionem illius quo ad ligam, vel pondus nocere; cùm, dum augmentum fit, ſaltem aliquid accreſcat, & ſic futuri decrementi onus alleviat, econtrà autem in diminutione ponderis, aut ligæ nemini quidquam accreſcit, & tamen devalorationem aliquando

do certò certiùs futuram omnibus minitatur.

SECTIO X.

Satis fit non nullis objectionibus, quæ priori ſectione deciſis opponi poſſent.

Summaria.

1. *Permutantes numum pluris, ac Princeps taxat, illius valorem non augmentant.*
2. *Quando moneta augmentum ſumpſiſſe dici poſſit?*
3. *Collato regali monetandi etiam intrinſeca, & extrinſeca cudendarum monetarum bonitas præſcripta eſt.*
4. *Fridlini ſententia aſſerentis hodie non ampliùs ſtandum eſſe præſcriptæ Imperij ligæ, & ponderi proponitur.*
5. *Refutatur quà cauſa infinitarum confuſionum.*

6. Con-

6. *Contra eandem oſtenditur non obſtante varietate valoris argenti ligam fuiſſe eandem.*
7. *Ex Fridlini argumento ineptiſſima ſequella deducitur.*
8. *Solutio argumenti à caſu neceſſitatis remiſſivè.*
9. *Pfennigk ſententia de moneta provinciali.*
10. *Reijcitur quà contraria Receſſ. Imp.*
11. 13. *Bonitas intrinſeca, & extrinſeca correſpondere debet correſpondentiâ connaturali, & ſolitâ,*
12. *Quid hac in re connaturale, & ſolitum, quid præternaturale, & inſolitum dicatur?*
14. *Quid interſit, ſi exaltetur extrinſecum, vel minuatur intrinſecum numi remiſſivè.*

SUſurros audire mihi videor. Uni quippe prima proximè præcedentis ſectionis deciſio; alteri altera; tertia tertio minus arridet. Eſt,
1. qui primæ opponat: quòd non tantùm

tùm illius, qui poteſtatem legislativam habet, ſed & privatorum ſit, numos in ſuo valore augere; cum indies videamus à camploribus, & mercatoribus E: G: aureos, qui aliàs vigore generalium de dato 10. Decembris anni 1692. quatuor tantummodo taxati ſunt florenis, ternis, & quaternis groſſis ſuprâ, imo aliquando etiam pluris cambiri & permutari. Aſt quàm leviuſculum hoc eſt! Scimus enim omnes, etſi campſorum, & mercatorum nonnulli, ſibi, ſuosque in uſus commodiores, aureos pluris cambiant & permutent, eos tamen ab alijs nequaquam pluris, ac pro quaternis florenis acceptari, quod ipſum arguit monetám ultra id, quod Princeps terræ, & Legislator vigore ge-

 nera-

neralium ſucrum ſtatuit, nihil aug-
2. menti ſumpſiſſe : quoniam ut reverà moneta in ſui valore augmentum ſumpſiſſe dici valeat, neceſſe eſt eam non tantùm uni, & alteri, ab uno, aut altero, ſed indifferenter cuivis, & à quovis æqualiter expendi poſſe, atque hinc etiam viciſſim univerſaliter acceptari debere. Cujus ratio datur in Leg. 3. ff. de in litem jurando : *cùm certa ſit nummorum æſtimatio.* Quod itidem confirmatur ex his, quæ habet Joannes Calvinus in Lex. Juris verbo Moneta, dum dicit *Monetam* dici *à monendo, quòd nos ſigni impreſſione precij moneat* : non autem moneret precij, ſi primùm, quanti hic, aut ille eam accipere vellet, aut deberet, indagare, & paciſci oporteret.

3 Ei-

3.Eidem deciſioni primæ porrò alius oggeſſerit, conceſſo uno, cenſentur etiam conceſſa omnia illa, ſine quibus id, quod conceſſum eſt eſſe non poteſt, ergo conceſſo jure monetandi cenſetur etiam conceſſum eſſe jus imponendi valoris, eſto quis poteſtate ferendi leges non polleat: cùm moneta ſine valore eſſe nequeat. Atqui ex identitatis ratione indubitatum eſt eum, qui valorem numis imponit, eundem etiam valorem numis augere poſſe, ergo. Sed nec hoc argumentum quidquam in contrarium urget: nam illa conceſſio ſemper eſt modificata, cancellisque Receſſuum Imperij reſtricta, ac concluſa; imò intrinſecam æquè, ac extrinſecam bonitatem cudendis in futurum numis

præſcribens: ita Ferdinandus ipſe in Ordin. Monet. de anno 1559. Wäre es auch Sach / daß einiger Reichs-Stand / ſo mit Freyheit der Müntzen nicht begabet iſt / künfftiglich ſolche Freyheit / Gold oder Silber zu müntzen/von vns oder vnſern Nachkommen am Reich außbringen / vnd erlangen wurde / in welchen Weege ſolches beſchehe / dem ſollen / vnd wollen wir / vnd vnſere Nachkommen / dieſelbig Freyheit keiner andern Geſtalt geben/nach zuſtellen / dann daß er diſer vnſer Ordnung vnterworffen / auch Innhalt diſes vnſers Kayſerlichen Edicts, zu müntzen ſchuldig/vnd verbunden ſey. Et ſic hoc ipſo jam in anteceſſum à concedente, numo impoſitus eſt valor.

valor. Ex his per ſe patet reſponſio ad argumentum.

4 Aliorum oculis deciſio ſecunda feſtuca eſt, è quorum numero video Illuſtr. D. Auguſtum Fridlin L. B. ab Hegi Salisburgi monetarium inſpectorem, qui ſuæ circa rem monetariam anno 1679. die 20. Novembris Celſiſſimo Principi Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, in ſcriptis oblatæ opinioni inter reliqua hæc inſeruit: quòd moneta in liga, & pondere ex præſcripto conſtitutionum imperialium ampliùs procudenda non ſit, eò, quòd non lex tempori, ſed tempora legibus imperare videantur; & quòd argentum hodie non æquè levi precio ematur, nec etiam eâ facilitate, ijsdemque expenſis, utpote indies

profundius, intimiuſque quærendum, è viſceribus terræ extrahatur, 5. ac olim. Verùm pace illius dixerim: ſtante hac ſententiâ ſequeretur, quòd prout quiſque jam pluris, jam minoris argentum emere, vel etiam id majoribus, aut minoribus expenſis è terra eviſcerare neceſſe habeat, ſic quoque comparatione factâ jam plus, jam minus ponderis, vel ligæ numo dare poſſet; unde infinitæ circa rem monetariam confuſiones orirentur; nec minus etiam à quolibet ex monetarijs dominis, imò verò ab uno eodemque, in annos, quin & aliquando in menſes ſingulos diſtinctæ in liga, & pondere monetæ ſignarentur. Quod quàm longiſſimè abſit.

6. Præterea quæro, num ab anno 1582, quo tempore imperialis unus tantummodo floreno uno, & cruciferis octo expendebatur, uſque ad annum 1622. ad quod tempus uſq; à prædicto anno ſucceſſivè imperialis unus (uti ſectione nonâ dictum) ſui valore uſque ad florenos decem excrevit; num inquam ſemper interea una marcha argenti æqualiter empta fuerit? vix hoc dici poterit, & tamen vel atteſtantibus ipſiſmet intra annum 1582. & 1622. ſignatis imperialibus videmus præſcriptam ijs ligam, & pondus obſervatum fuiſſe.

7. Adhæc quòd fortè in uno, aut altero loco in auri- vel argenti-fodinis majores ſucceſſu temporis expenſas, ac antea fieri neceſſe ſit, malè

ſequitur licitè ſolitam ligam, & pondus deteriorari. Quid enim ſi monetarius Dominus, uti horum plures ſunt, argenti-fodinam non habeat, aut eandem totaliter aliquãdo exhauriat, an ideo numus ſine omni ligâ, & pondere eſſe poterit? Cæterùm ſæpiùs accidit, ut, quo profundius terra exploratur, eò copioſius, & purius aurum, argentumue elatebretur. Quid quòd aliquando etiam, DEO propitio, hujuſcemodi terræ divitiæ communi omnium bono inopinatè pandantur.

8. Quòd ſi præterea quiſpiam argumenta ſecundæ deciſionis ad caſum neceſſitatis exlegis trahenda negaverit, hunc ad dicta Sect. 5. Num. 12. remitto; ego verò ad reſpon-

ſpondendum his, quæ Guilielmus Pfennigk in tract. De rei numariæ mutatione, & augmento Lib. 2. Cap. 8. Num. 19. dictæ deciſioni meæ in contrarium ſcripſit, me ac-
9. cingo. Putat is ibi monetario Domino monetam ſaltem provincialem (die Land-Müntze) non ex præſcripto, ſed ad libitum fabrefacere liberum eſſe hac poſitâ ratione: *Nam ſicuti illa* (intellige moneta provincialis) *extra territorium regulariter nullum habet valorem, regulis quoque ad ligam imperij non tenetur.*
10. Sed mirum quantùm à Receſſibus Imperij receſſit, & deviavit: & niſi pro excuſatione afferat ſe non de jure, ſed de facto ſermocinari, neſcio quid reſpondere poſſit ad Receſſ. Imp. de anno 1566. §. 155.

qui §. deciſionem meam quo ad provincialem, ac proinde tantò magis quo ad communem Romano-Germanici Imperij monetam hiſce corfirmat: Es ſoll auch den Creyſſen/ vnd Landſchafften / die hiebevor ihre ſonderbahre Land-Müntzen in ihren Bezürcken gehabt / vnd gebraucht / hinfürter ſich derſelbigen auch zu gebrauchen / vnd zu ihrer Gelegenheit anzuſtellen vnbenommen ſeyn / jedoch daß dieſelbige Land-Müntzen auch NB. auff den Gehalt / vnd Werth der Reichs-Müntzen regulirt / vnd geordnet werden. Da ſich dann auff den Probation-Tägen befinden wird / daß einer / oder mehr Ständ / weiter als obſtehet / vnd durch die Creyß verglichen / Müntzen wurde / daß wollen wir ſambt

den

den Creyſſen / darunter ſie geſeſſen / abſchaffen / vnd keinen ſeines eignen Willens in diſem zu handlen geſtatten.

11. Unum ſupereſt, ut enervem: id nempe, quod in ſpecie tertium deciſionis ſecundæ argumentum labefactare videtur. Scilicet: Si bonitas extrinſeca bonitati intrinſecæ correſpondere neceſſe habet, ſequella eſt, ut neque valorem monetæ aliàs in liga, & pondere bonæ hucuſque ſolitum unquam augmentare fas ſit, contra dicta, & conceſſa in prima deciſione prioris ſectionis. Verùm, quæ in dicta deciſione prima prolata ſunt ratione correſpondentiæ intrinſecæ, & extrinſecæ, intelligantur oportet de correſpondentia intrinſeca, & extrin-

trinſeca ſolita, & connaturali, non de ea, quæ præternaturalis eſt, &
12.inſolita. Connaturale autem, & ſolitum hac in re dicitur, quod Receſſ. Imp. & Ordin. Monet. præſcripſêrunt: Sicuti econtrà præternaturale, & inſolitum dicendum id, quod quidem ibidem expreſsè præſcriptum non eſt, fieri autem quandoque causâ urgentiſſimâ ſic repoſcente imperialibus exemplis edocti
13 permiſſum dignoſcimus. Unde reſpondeo ad arg. diſtinguendo: ſi bonitas extrinſeca bonitati intrinſecæ correſpondere debeat connaturaliter, ſequitur valorem monetæ nunquam augeri poſſe, nego ſequellam, ſi ſecùs, tranſeat. Dico ergo ſufficere, quòd intrinſeca, & extrin-

trinſeca bonitas connaturaliter correſpondeat, quod & fieri debet.

14. Tertia deciſio ſuppoſitis duabus prioribus vix difficultatem patitur: licet enim primo obtutu nihil intereſſe videatur, numusne bonus exaltetur, an alius vilioris ligæ, vel levioris ponderis ſervato priſtino valore efficiatur: cùm quantò pluris, aut melioris materiæ prior ſit, tantò pluris quoque debeat acceptari. Quia verò quid interſit jam Sect priori Num. 17. & 18. dictum eſt, ad alia digredior. Ergo ſit

SECTIO XI.

De multifarijs veterum Romanorum, & recentium Romano-Germanicorum numorum formis.

Sum

Summaria.

1. *Diverſiſſimæ, & penè innumeræ ſunt veterum numorum formæ.*
2. *Primi numi Janum bifrontem, & roſtrum navis referunt.*
3. *Quid præſeferant numi primis proximi?*
4. *Signati à IIIviris monetalibus familias Rom. exhibent.*
5. *Quid in familiarum numis, anteriùs inſculpti Dij, Deæque denotent?*
6. *Quibuſcum in poſtera numi parte familiarum dignitates, & res bene geſtæ indigitentur?*
7. *C. Jul. Cæſar arrogato Rom. Imperio, jus quoque monetandi, non tamen privativè, ſibi arrogavit.*
8. *Deinde Tiberius S. P. Q. R. non niſi æs ſignare paſſus eſt.*
9. *Tandem & æris ſignandi poteſtas ademta fuit.*
10. *Quì Rom. Imperatores numos anteriùs ſignârint?*
11. *Ea, quæ in eorundem averſa parte incidebantur, generatim perſtringuntur.*

12. *Laus Fr. Mediobarbi, ad quem ſpecialiora deſiderans remittitur.*
13. *Generaliter inſinuatur, qualiter hodierni numi ſignari ſoleant.*
14. *Formas ſpecificas ipſi adhuc numi exhibent, exterminio ſecuto Tract. Hoffmanni, & Lucij exbibebunt.*

1. DIſtinctas non tot mentiebatur formas Proteus quot formis numi ab invicem diſcernuntur: has omnes deſcribere ſuperſedeo, nec enim libellus hic tot, tantasque exciperet, eſto mihi vel ſoliſſimis etiã ſiglis eaſdem inſinuare mens foret: generatim itaque tantùm paucula, & quidem omiſſis ijs, quæ ad exteras non ad Romanam, aut Romano-Germanicam gentem ſpectant, complectar.

2. Antiquiſſimi, ijque primi Romanorum numi parte anticâ bifron-

tem Janum, poſticâ roſtrum navis referebant, cujus ipſimet numi, & Plinius Lib. 33. Cap. 3. teſtes ſunt.

3. Alij primoribus proximè accedentes anteriùs faciem Deæ Romæ, vel genij Senatûs, vel genij Populi Romani &c. exhibent, averſi autem ratem, ovem, bovem, vel ſi argentei ſint, bigas, quadrigas, victorias &c. repræſentant.

4. Ij, quos III- viri monetales auro, argento, æri flando, feriundo conſtituti, dum adhuc populare Romanum fuiſſet imperium, ſuo ex arbitrio, & beneplacito ſignârunt, plerique omnes Romanarum familiarum ſunt monumenta: Eas omnes recenſere abſterret nimietas, recenſitas autem curioſiori lectori in Bibliotheca numiſmatum Burch. Gott-

Gotthelf. Struvij Cap. 2. legere, aut etiam, ſi malit, unà cum numorum formis deſcalpratas videre licebit in
5. Familijs Rom. Caroli Patini. Interim hìc hoc adnoto, quòd primæ hujuſcemodi numiſmatum frontes plerumque varias Deorum, Dearumque facies præſeferant: prout ſcilicet quæque familia aut ab una, alterave Deitate ſuam ſe originem trahere jactitabat, aut uni alterive Deitatum earumdem quaqua de cauſa ſe plus debere agnoſcebat. Atque hinc conſpicimus in numis gentis Juliæ Venerem; in numis, qui Petiliæ debentur familiæ, Jovem; qui Calpurniæ, Numam; qui Thoriæ, Junonem Lanuviam; &
6. ſic de cæteris. Poſtera verò numorum facies plurimas nos Roma-

norum antiquitates edocet: hic per thenſas, per pontificalia, per aras, per ſacrificia, ſacrificulorumque inſtrumenta ſuperſtitioſam veterum Religionem, Sacerdotia, vel Pontificatus agnoſcimus; ibi majeſtoſam cujuspiam in faſcibus, & ſecuribus, ſelliſue curulibus Præturam, Conſulatum, Dictaturam ſuſpicimus, veneramur: Nunc hunc ex ſpicis, & Cereris, Saturnique imaginibus magiſtratu ad frumentum emundum claruiſſe concludimus; nunc alium triumphalis currûs obtutu de Populi Rom. hoſtibus victorem, atque ideo glorioſiſſimum celebramus triumphatorem: ſæpenumerò unum aliquem res à ſe, vel à majoribus ſuis in toga, vel ſago laudabiliter geſtas recolere experimur,

mur, & ut verbo compleɑar omnia, in ſexcentis alijs locupletiſſimè, & mirum quantùm curioſi ſcrutatores erudimur.

7. Nunc ad Rom. Imperatorum numos digredienti quaſi per tranſennam commemorare libet, quòd ſtatim initio mutati in monarchiam Reipubl. Rom. ſtatûs jus monetandi unà cum Rom. Imperio ſibi C. Jul. Cæſar reapſe quidem arrogaverit, ſimultaneè tamen S. P. Q. Romanum iſthoc regale exercere paſſus fuerit, id quod & Octaviani Augu-
8. ſti temporibus continuatum. Aſt Tiberio ad Imperium evecto auri, argentique ſignandi poteſtas ad ſolos Auguſtos, & Cæſares tracta, nec niſi poteſtas æris ſignandi Senatui
9 relicta, quæ tamen & ipſa ex mente

Struvij præcitati in Bibliotheca numiſmatum Cap. 3. *Sæculo III. ſimul cum argenti ſignandi jure, quod ab breve tempus Trojanus conceſſerat, erepta fuit.*

10. Dum ergo Rom. Imperatores ſeu ſimultaneè, ſeu ſoli monetandi jure potirentur, hoc (vel ipſis numis teſtibus) parentes, uxores, filios, nepotes, fratres, ſorores, concubinas, alioſque præ reliquis in delicijs habitos honore dignati ſunt, ut quemadmodum ſuis, ſic quoque illorum effigiebus anteriori facie numi inſignirentur, inſcriptaque inibi nomina, dignitates, aliæve prærogativæ ſeræ tranſcriberentur po-

11. ſteritati. Poſterioris iſtorummet numorum faciei ſignaturas, & inſcriptiones quis in tanta penè infinitudine

tudine ſingillatim recollat? Dixi in tanta penè infinitudine: nullum etenim priſca Romanorum ſuperſtitio Deum, aut Deam commenta eſt, quem vel quam occaſione felicis, optatique cujusdam ſucceſsûs jam ſub hac, jam ſub illa ſomniata proprietate cultum veneratumque, aut cultam veneratamque reperire non poſſis. Quid quòd ſpecie plurium animantium, imò & inanimatorum ipſi ſæpè ſæpiùs denotentur, colantur, & colendi proponantur: uti per bovem Apis, vel Serapis; per centaurum, vel lyram Apollo; per fulmen, vel aquilam Juppiter; per pavonem Juno, per cervam Diana; per equobalenam Neptunus; alia demum Idola

per alia Idolorum propria. Adhæc aliquando etiam per hoſtem proſtratum, aut phænicem è proprio reviviſcentem cinere *FELIX TEMPORUM REPARATIO* deſignatur: nonnunquã pontium, & portuum, ſumptuoſiſſimorumq; ædificiorum exhibitione admiranda quidem, feliciter tamen ad præfixum ſcopum perducta clarent molimina. Quidam præterea averſorum numorum captivis, trophæis, vel arcubus triumphalibus inciſis victorias partas, & triumphos actos eloquuntur. Alij adumbratis congiarij diſtributionibus multifariam Auguſtorum erga Pop Romanum deprædicant liberalitatem. Nonnulli *VOTA* X. XV. XX. XXX. perſoluta, & multa XX. XXX. XXXX.

nun-

nuncupata indigitant. Sed quorſum hæc omnia? ſi in immenſum hodie excurrere extra propoſitum eſt. Hæc ergo ſunto ſatis.

12. Quod ſicui tamen hac in re curioſitatem ſuam explendi animus eſt, Franciſc. Mediobarbum Biragum adeat, utpote qui non minus ad ſtuporem, quàm ad antiquariorum utilitatem, & in ſtudio metallico facilitatem deſudavit, dum innumera, ut ita dicam, omnium metallorum numiſmata, potiſſima quidem ex Adolpho Occone, multa ex alijs, non pauca de ſuis collegit, & aſſignatâ ſecundùm Cronologiæ regulas cuivis numo propriâ ſede, adjectiſque compluribus elegantibus commentarijs in unum collegit.

13. Unum adhuc ſupereſt, ut ſcilicet poſteriorum, atque etiam hæc noſtra tempora attingentium Romano-Germanicorum numorum formas generatim perſtringam. In hiſce numis præter monetariorum Dominorum (ſive jam ſummi ſint, proprioque jure regali monetandi gaudeant, ſive dependentes, & ex ſpeciali conceſſione idipſum exerceant) in hiſce inquam præter monetariorum Dominorum effigies, nomina, dignitates; & valorē, quæ plerumque alteram numi faciem explent, conſpicienda quoque ſunt in parte averſa ut plurimùm cum eleganti quodam, & ſymbolico dicterio eorundem propria inſignia, rariùs verò horum vice ſymbolum ipſum oculis obycitur. Atque his alte-

alterius quoque faciei ſolitæ formæ
14 generatim indigitatæ ſunt: ſpecificas verò paſſim in numis ipſis cuivis etiamnum hodie videre fas eſt, quarum pleræque quamvis ſecuturo paulò poſt in conformitatem Cæſareorum generalium exterminio, pro majori parte noſtris eripientur oculis, ſequiori tamẽ ætate in noviſſimis Leonh. Wilibaldi Hoffmanni, & C. L. Lucij tractatibus de monetis, quorum primi tractatus Alter und Neuer Müntz-Schlüſſel/ poſterioris verò Neuer Müntz-Tractat inſcribitur, ex ibidem annexis numorum ſchematibus, poterint videri.

SECTIO XII.

De numis Romanorum uſualibus, eorum magnitudine, ſpeciebus, & valore.

Summaria.

1. *Numi, & numiſmata in latiori ſignificatione quid?*
2. *Numorum nomine propriè veniunt uſuales numi.*
3. *Numiſmatum verò, qui uſuales non ſunt.*
4. *Veteribus Numis claſſes tres aſſignantur.*
5. *Numi maximi moduli quartam uſualium claſſem non conſtituunt.*
6. *Probatur ex Joanne Vaillant:*
7. *Item authoritate Joſephi Monterchij.*
8. *Cujus magnitudinis cujusvis claſſis numi ſint?*
9. *Recenſentur veterum numorum ſpecies.*
10. *Aureus Romanus, Solidus, & ſextula idem ſunt.*
11. *Aurei ratio incomprehenſibilis.*

12. *Quid*

12. *Quid requiratur ad exactam notitiam valoris aurei?*

13. *Analogia auri ad argentum decupla.*

14. *Vetus aurei valor, cui hodierno valori aſſimiletur?*

15. *Denarius unde dictus? ejus ſynonima, nota; varium circa precium æſtimium.*

16. *Valor denarij, valori 4. groſſorum comparatur.*

17. *Bigati, & quadrigati ſunt itidem denarij.*

18. *Quinarius unde dicatur? ejus ſynominum, nota, & valor.*

19. *Seſtertius unde dicatur? ejus ſynonima, notæ, & valor.*

20. *Seſtertius, & ſeſtertium differunt, & quomodo?*

21. *Admonitio, quod ſolùm ſermo ſit de ſolitis X. V. HS. non de ijs, qui urgente neceſſitate ſolitò pluris permutabantur.*

22. *Aſſis ſynonima, & valor.*

23. *Semiſſis valor, & ſynonima.*

24. 25. 26. *Valor trientis, quadrantis, & ſextantis.*

27. *Quando, & quatenus pondus aſſis diminui cœperit.*

1. NOmine numorum, & numiſmatum ſecundum latiorem ſignificationem ſumptorum veniunt laminæ maximam partem in rotunditatem, nonnunquam etiam in quadraturam, quin & in ambiguum efformatæ, ac utraque ex parte ſuis typis, characteribus, cælaturiſue conſpicuæ.
2. Hi ſub hac ſignificatione contenti numi, & numiſmata, ſive de priſcis Romanis, ſive hodernis Romano-Germanicis ſermo ſit, duplicis ſunt generis. Sunt etenim nonnulli, ijque plurimi, quos exercendorum commerciorum gratia neceſſariò jam olim inductos fuiſſe ex Sect. 1. conſtat, quoſque etiamnum hodie commercijs aptos, & adaptari videmus: atque hi propriè & ſtrictè numi

3. mi dicendi ſunt. Sunt itidem alij, ijque Solummodo, veluti cippi quidam ad rei cujuſpiam honorificæ, aut benè geſtæ memoriam conſervandam, ac in poſteros propagandam accommodati: & hujuſmodi in ſua propria, & ſtricta ſignificatione latinis Antiquarijs numiſmata, Italis vero Medaglioni dicuntur. De numiſmatibus ſtrictè ſumptis ſequenti Sectione ſermo erit copioſior: iſthoc verò loco ferè tantùm de numis ſic propriè dictis nonnulla deducere mens eſt.

4. De veteribus Romanorum numis hæc cape. Tres illis claſſes communiter ab Antiquarijs aſſignantur, ita ut primam claſſem ſibi vendicent numi ex ære magno ſecundam ſortiantur numi ex ære

medio.

mediocri; & tertiam demum claſſem conſtituant numi ex ære parvo. Alij hos numos ex ære magno, mediocri, & parvo numos magni, mediocris, & minimi moduli nuncupant. Sed hìc non moror, utrumq; enim bene, quia utrumque ſub diverſis vocibus idem ſignificat.

5. Dices: Paſſim Antiquarij numorum maximi moduli mentionem faciunt, ergo quaternæ, & non ſolùm ternæ eorum ſunt claſſes. Provocatus præter opinionem paulò ante dictis nonnihil adverſari cogor, dum ad propoſitam quæſtionem reſponſurus quædam, quæ ſequenti ſectioni ſervanda exiſtimaveram, iſthuic ſectioni includere neceſſe habeo: Aſt paucis rem expedio, ut quàm minimùm à promiſ-

ſis

ſis receſſiſſe videar. Verum eſt Antiquarios paſſim de numis maximi moduli diſſerere, atque hinc concedo antecedens propoſiti enthimematis; quia verò numi ſignificatione latè, non ſtrictè ſumptâ utuntur, hinc nego conſequentiam. Quòd autem numus latâ ſignificatione, non ſtrictâ, quatenus nempe humanis tantùm deſervit commercijs (de quo hìc loci agitur) accipiatur; duplici authoritate, nimirum Joſephi Monterchij, & Joannis Vaillant comprobaſſe ſuffi-
5. ciet. Et Vaillant quidem in præfatione ad Tomum I. De numiſmatibus Imperatorum Romanorum præſtantioribus ita loquitur: *Qui* (intellige numi) *dicuntur eſſe maximi moduli, quos Itali vocant Me-*

dag.

daglioni, rari ſunt: & paulò poſt: *Ejusmodi numi mole, cælaturâ, raritate cæteris longè ſuperiores, non erant monetæ loco, ut cæteri omnes, ſed ut nunc ſit, numerabantur inter numiſmata, quibus conſignabantur res præclarè geſtæ, quæque amicis, aut exteris munificentia principis diſtribuebantur.*
7. Monterchius verò de precio, & nobilitate numiſmatum maximi moduli in libello (qui inſcribitur: Rariora maximi moduli numiſmata) diſſerens ſic habet: *Numiſmata maximi moduli cæteris omnibus præſtant &c. reliqua enim numiſmata minora propter commercium tantùm, & pro ordinaria moneta cuſa eſſe creduntur; cùm nemo dubitet, quin ea, quæ maximi moduli ſunt, eum duntaxat in finem, ut Imperatorum, rerum-*

que

que ab ijs geſtarum memoria conſervaretur, & ad poſteros propagaretur, percuſſa fuerint. Recto ſtat ergo talo aſſertum, quòd numi ſic ſtrictè dicti in ternas diſtribuendi, collocandique ſint claſſes.

8. Qui ad primam claſſem referuntur ceu numi magni moduli, vel ex ære magno magnitudinis ferè ſunt floreni germanici, craſſitie tamen eum exſuperant: Quos moduli mediocris, ſeu ex ære mediocri dicimus, eos ſpiſſiores ſatis eſſe noſtro quinario, aſt ejuſdem magnitudini proximè accedere videmus: Numos demum minimi moduli, ſeu ex ære parvo cum magnitudine groſſi quidem, non tamen tenuitate (plerique enim omnes denſiores ſunt) propemodum comparare

 licebit.

licebit. Quoniam verò unius cujuſque trium harumce claſſium numi non omnes omnino æquales, ſed quoſdam non nihil majores, nonnullos minores conſpiciamus, prout quiſque magnitudini inſinuatæ unius, alteriuſue claſſis magis approximat, ita quoque eidem appropriandus erit.

9. Nunc de ſpeciebus ſub his tribus claſſibus contentis paucula, quæ ad pleniorem veteris Romanæ hiſtoriæ, reique numariæ intellectum non tantùm multum couferunt, ſed ſcitu apprimè neceſſaria ſunt, inſinuare libet. Hæ autem ferè ſunt numorum ſpecies: Ex auro eſt Aureus cum ſuo Semiſſe, & Tremiſſe. Ex argento Denarius, Quinarius, & Seſtertius; ex ære demum Aſſis, ſemiſ-

ſemiſſis, Triens, Quadrans, & Sextans. De ſingulis aliquid.

10 Aureus à ſui materia ſic dictus, an ſolidi (cujus vocabulum Priſcis totum, & integrum ſignificat) ſynonimum ſit, aut cum ſolido in pondere, & valore conveniat, diſcrepant Authores; mihi autem Didacus Covarruvias Tom. 1. Veterum numiſmatum collatione Cap. 3. §.1. quòd & ſolidus pro aureo, & aureus viciſſim pro Solido in Jure ſine diſcrimine uſurpetur, evidenter demonſtrate videtur. Sed quia hæc recolere longum foret, lectorem potius ad authorem ipſum remitto. Interim ſuppoſito hoc dubitandum non eſt aureum etiam Sextulæ nomine venire, cum & eodem nomine veniat ſolidus, arg. l. quo-

tieſcunque Cod. De ſuſceptoribus, Præpoſitis, & Arcarijs lib. 10.
11. Cæterùm plura hìc adhuc commemoranda fuiſſent, aſt cum Leonardo Portio De LLS. ingenuè fatendum eſt: *Numi aurei ratio difficilior, & quaſi incomprehenſibilis videtur, quia pondus & pretium multipli-*
12. *citer variavit.* Ne tamen omnino nihil præſtiterim, hoc ſaltem ſignifico, quòd qui priſtinum aureorum valorem exactè noſſe velit, perſpectum cumprimis habere debeat, cujus quiſque bonitatis, vel temperaturæ, & ponderis ſit: Dein etiam quando Romanis major auri copia, quando major defectus fuerit: pro varietate enim horum &
13. analogia varia erit. Aliàs autem decuplam auri ad argentum analogiam

giam obſervare conſultum fuerit; quia hoc Romanos ipſos in conditionibus pacis cum Ætolis pactos fuiſſe ex Livio Lib. 8. Decadis quartæ mihi fol. 144. addiſcimus in verbis: *pro argento ſi aurum dare mallent, darent convenit: dum pro argenteis de-*
14 *cem aureus unus valeret.* Si igitur Aureus, aut ſolidus Romanus didrachmus ſit, viginti denarij, qui pondere ſunt drachmæ unius, eum rectè exæquabunt; ſi ſit monodrachmus, deni; & ſic de cæteris: & quia quaternis cæſareis groſſis, ſeu cruciatis 12. per paulò poſt dicenda denarius æſtimandus, computus dabit aureum didrachmum valuiſſe, quot noſtri 80. groſſi, vel 240. cruciati, qui florenos 4. efficiunt; dabit itidem computus Au-

reum monodrachmum valuiſſe, quot noſtri 40 groſſi, vel 120. cruciati, qui efficiunt florenos 2. Pariter diſcurrendum de cæteris.

Quod de aureo dictum eſt, id quoque proportionabiliter quoad omnia intelligendum erit de Semiſſe & Tremiſſe Aurei; id eſt de medietate, & tertia aurei parte.

15 Denarius, qui nonnullis etiam Decuſſis, teſte C. Plinio ſecundo hiſtoriæ naturalis Lib. 33. Cap. 3. decem aſſibus permutabatur, & uti vult ex Soſipatre Matthæus Hoſtus hiſtoriæ rei numariæ veteris Lib. 2. Cap. 6. Littera X. denotabatur: à jam fato denario aſſium numero denarij nomen denarium traxiſſe omnes ac conſentiunt, aſt non omnes eodem eum precio æſtimant; dum

dũ eum cum nunc uſitatis monetis
conferunt: atque ideo ſive 12, ſive
13, ſive 14. quin & prope 15. crucia-
tis, ſeu cruciferis (vulgò **Kreutzer**)
denarij valorem comparavero, ſem-
per aſſerti patronum & teſtem faci-
16. lè repererim. Verùm ijs tantùm
aſſentior, qui denarium illo valore,
cujus 12. cruciati, ſeu cæſarei 4. groſ-
ſi ſunt, exæquant: ratio autem eſt,
quod ferme tantundem & Roma-
nus Julius efficiat, quo cum vetus
denarius in pondere, & liga penè ni-
hil diſcrepat, id quod etiam, quo
ad pondus, jam pridem ante me
advertit Leonardus Portius de
LLS. Libro 1. inquiens: *Denarios
antiquos ad noſtros pondus maximè ac-
commodabit, & cum pondere drach-
mæ reperiantur, Juliis noſtris Romanis,*

qui pondere ferè eodem ſignantur, &
17. *ſimilibus comparari poſſunt.* Priuſquam ad alias numorum ſpecies digredior, hìc hoc adhuc adnoto ex Hoſto in cit. Tract. Lib. 1. Cap. 9. bigatos, & quadrigatos ab inciſis bigis, & quadrigis ſic dictos denarij quoque pondere percuſſos, & idipſum valuiſſe veriſimiliter exiſtimari.

18 Quinarius à quinis, quos valuit, aſſibus dictus eſt, tot autem aſſes quinarium valuiſſe ex cit. Plinij loco colligitur: cùm itaque denarij dimidium eſſe conſtet, collatus cum uſuali noſtra moneta ſecundùm paulò ante dicta, cruciatis ſenis, ſeu groſſis cæſareis binis æquivaleat, neceſſe eſt. Ejusdemmet valoris etiam eſt victoriatus, qui, quia victoriâ ſignatus, ſic dicitur. Utriuſque

uſque autem, id eſt & quinarij, & victoriati ſiglum eſt Littera V.

19. Seſtertius, cujus nota eſt IIS, vel LLS, vel HS, vel etiam H-S. eſt denarij quarta, & quinarij dimidia pars, ſic dictus, quaſi ſemis tertius quòd duos aſſes, & tertij dimidium valore ſuo complectatur. Dicitur nonnunquam etiam numus, & ſeſtertius numus. Hunc igitur quà denarij quadrantem, & quinarij dimidium groſſo cæſareo, ſeu 3. cruciatis ſecundùm ſuprà dicta rectè
20. æſtimaveris. Aſt advertendum hic, quantùm ſeſtertius, ſi in maſculino; & ſeſtertium, ſi in neutro genere ſummatur, inter ſe differant; ne fortè quis idem maſculinum, & neutrum ſignificare exiſtimet. Seſtertius, ut dixi, duos

aſſes & dimidium, Seſtertium autem ſeſtertios mille denotat, id quod pluribus perſpicuè comprobat Hoſtus cit. Lib 2. Cap. 5.

21. Hìc me erroris nemo jure arguet, quòd denarium denis, quinarium quinis, ſeſtertium ſemitertio aſſe æſtimandum aſſeruerim, etſi in Plinio cit. Lib. 33. ultrà ſuprà relata quoque legere ſit: *placuitque denarium XVI. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis*: etenim de ordinario tantùm valore ſermo mihi eſt, hoc Plinij loco autem continetur valor extraordinarius; qui ex cauſa eodem modo olim, ac hoc noſtro tempore accidiſſe experimur, adauctus fuit.

22. Aſſis, ſive As, qui & Æs à materia, & libra ab originario ſuo pondere

dere dicitur, ac inde etiam per literam L. ſignificabur; Aſſis, inquam, quia decima pars eſt denarij, quem cæſareis 4. groſſis; ſeu duodecim cruciatis comparavimus rectè, comparatur cruciato uni & quintæ parti alterius, ut ſic paulò minus ſit, ac 1. Cr. & 1. numulus.

23. Semiſſis ſive ſemis, quaſi ſemi as dimidium aſſis eſt, dicitur quoque ſexcunx à 6. uncijs, & Selibra à pondere ſemilibræ, æquivaletque tribus quintis partibus noſtri cruciati, efficitque ferè $2\frac{1}{2}$ numulos.

24. Triens eſt tertia pars aſſis, hic proportionatè ad aſſem duas quintas partes noſtri cruciati adæquat, ut ferè faciat $1\frac{5}{8}$ num.

25. Qua-

25. Quadrans ſeu Triuncis, vel triunx, vel teruncius, quòd trium unciarum ſit, quarta pars eſt aſſis, valuitque olim, quantùm nunc tres decimæ cruciati partes id eſt $1\frac{1}{4}$ num.

26. Sextans $\frac{3}{16}$ inferior fuit noſtro numulo, cùm enim is aſſis ſexta pars fuerit, ex priori æquiparatione, duabus decimis cruciati, atque ſic $\frac{13}{16}$ numuli aſſimilandus erit.

27. Sunt etiam, qui ſextulam æreum numum, eumque minimum fuiſſe aſſerunt; quia verò ſextula ſexta unciæ unius pars, & ſic ſextantis duodecima (qui ipſe etſi integer, numulo noſtro, ut dictum, inferior eſt) induci nequeo, ut aliam ſextulam præter eam, quam aureum eſſe ex lectionis hujus Num. 10. conſtat

ſtat , agnoſcam ; præcipuè quòd tam nullis minutijs necquicquam ſit opus ad commerciorum uſum, qui tamen introductioni numorum cauſam dedit. Non autem inficior ſextulam pondus eſſe.

28 Hiſce de Aſſe,& ejus partibus prolatis annecto , aſſem non ſemper ejuſdem, ſed varij fuiſſe ponderis, quetſi valoris ejuſdem : primùm quidem fuit unius libræ : quòd Plinius toties citatus indicat Lib. 33. Cap. 3. hæc (ex lectura Hadriani Junij, & Feſti Pompeij, atteſtante Matthæo Hoſto Hiſtoriæ rei numariæ veteris Lib. 2. Cap. 1.) habens, *Libra as unde etiam nunc libella dicitur, & dipondius dependebat duos aſſes.* Deinde fuit Sextantarij ponderis, quòd iterum idem Plinius ibidem nos hiſce docet:

docet: *Libræ pondus æris imminutum bello Punico primo, cùm impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque, ut aſſes ſextantario pondere ferirentur.* Poſtea ſunt facti unciales, & demum etiam ſemiunciales, quod denuò idem ibidem ſequentibus perhibet: *Poſtea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore aſſes unciales facti.* Et pauculis interjectis: *Mox lege Papyriana Semiunciales facti.* Hæc de veteribus Romanorum numis.

De numis noſtratibus Romano-Germanicis, qui uſui & commercijs deſerviunt, de eorum magnitudine, de ſpeciebus, & valore differendi, ne dicam neceſſitatem, nec cauſam video: hæc omnia enim omnes novimus, ignorat nemo: id-

circo,

circo, ne cuipiam ſim faſtidioſus; hic nihil moror.

SECTIO XIII.

De numiſmatibus in ſpecie ſic dictis.

Summaria.

1. *Quid ſit numiſma? hic, & remiſſivè.*
2. *Cur numiſmata æſtimanda?*
3. *Eorum generalis diviſio.*
4. *Numiſmata honoraria quæ dicantur?*
5. *Quæ miſſilia?*
6. *Præter honoraria, & miſſilia dantur etiam alia hodie ab artificibus elaborari ſolita.*
7. *Numiſmatum honorariorum, & miſſilium diviſio.*
8. *Cur hic loci non niſi tria præfigurentur?*
9. *Quando Labaci numiſmata præmij loco diſtribuebantur?*

10. 11. *Qualia fuerint miſſilia celſiſſ. Principis Thomæ Epiſcopi Labacenſis.*

12. *Qui-*

12. *Quibus olim miſſilia ſpargere liberum fuerit?*
13. *Qui illa hodie ſpargere ſoleant?*
14. *Quò titulò capientes miſſilium domini fiant? refertur quorundam ſententia.*
15. *Alia ſententia proponitur.*
16. *Reprobatur prior.*
17. *Probatur poſterior.*
18. *Spargens poſſeſſionem miſſilis retinet animo, donec id quiſpiam capiat.*

1. NUmiſmata in ſpecie, ſeu propriè ſic dicta commerciorum uſui non deſervire, nec deſerviviſſe, ſed duntaxat cippos quoſdam eſſe ad rei cujuſpiam honorificæ, aut bene geſtæ memoriam conſervandam, & in poſteros propagandam ex anterioris ſectionis XII. Num. 5. 6. & 7. conſtat.

2. Hæc tantò pluris æſtimanda ſunt, quòd (tanquam quæ cum re ipſa ferè

ferè naſci, atque ita hiſtoriarum plerumque ætatem excedere conſuevérunt) certa, infallibiliaque rerum geſtarum ſint argumenta.

3. Omnia numiſmata, ſi prima origo ſpectetur, honorariorum, & miſſilium genere comprehenduntur;

4. quoniam aut talia ſunt, quæ principum, aliorumque primis dignitatibus conſpicuorum munificentia in benemeritos, amicos, & ſubditos liberaliter diſtribuebantur, vel econtrà Principibus, aliiſque dignitate conſpicuis ad conteſtandam ſubmiſſionem, cultum, gratitudinem, amorem, lætitiam, triſtitiam &c. ab inferioribus, vel etiam æqualibus, publicâ tamen authoritate pollentibus offerebantur: & hæc honorariorum vocabulo veniunt.

5. Aut talia ſunt, quæ à Cæſaribus, Regibus, Principibus, Prætoribus, Coſſ. &c. in coronationibus, electionibus, aut alia quapiam univerſali lætitia in vulgus ſpargebantur: & hæc Inſtitut. ff. Cod. & Novel. jure miſſilia nuncupantur.

6. Dixi ſi primaria origo ſpectetur omnia numiſmata miſſilium, & honorariorum genere comprehendi; hodie enim præter honoraria, & miſſilia alia quoque dari videmus, ea ſcilicet, quæ lucri cauſa artificioſâ quorundam manu elaborata ſæpenumero venum, ut merx exponuntur. Sed nemo dixerit hæc tantæ, ac illa æſtimationis, & fidei eſſe; ſiquidem illa publicâ fulciuntur authoritate, hæc privatorum tantùm arbitrio fabrefiunt.

7. Adhæc & hoc omittendum non eſt, quòd numiſmata honoraria æque, ac miſſilia ſeſe inter differentiſſima ſint; & vel à diverſo, quem reſpiciunt, fine; vel à diſtinctis, quas denotant, rebus; vel à differentibus, ex quibus diſtribuuntur, aut ſparguntur, cauſis, jam Augualia, jam Auguſtalia, jam Auſpicialia, nonnunquam Caſtrenſia, Fecialia, Feralia, Feſtiva, Gratulatoria; quandoque Iconica, Irenica, Jubilæa, Lugubria, Memorialia, Monitoria; quædam Nuptialia, Præmialia, Socialia, Triũphalia, Typica, Votiva, & neſcio, quibus adhuc ſexcentis alijs vocabulis, nuncupantur.

8.Horum numiſmatum ſingula exemplaria proferre, vel exhibere ſuperſedeo, ne forte finalis hæc ſectio ſui magnitudine priores exſuperet ſectiones, præſertim quòd ſelectiſſimis quibuſvis priori ſæculo evulgatis jam pridem Joan. Jac. Luckius ſuum Sylloge numiſmatum illuſtraverit; ea verò, quæ hac noſtrâ, & partum noſtrorum ætate prodierunt, adhuc paſſim aut noſtris terantur manibus, aut jam actualiter aliorum ſcalpello, vel calamo ſint exarata: ſufficiat ergo ex meis ſaltem tria, ob raritudinem, & quòd hactenus (quantùm ſcio) eorundem nemo meminerit, penè ignota commemorare, & ſcalpello adumbrata ordine exhibere.

Pri-







Primum, & ſecundum numiſma argenteum eſt, quod tertium locum occupat, eſt ex auro; omnia autem magnitudinis, & formæ prout extant deline ta.

9 Primum honorarijs, quæ præmialia dicuntur, adſcribendum: id enim (uti Carnioliæ Aquila ex una, & ex altera parte inſcriptio PRÆM. SCHOLÆ PROVINCI: CARNIOLÆ 1584 edocet) à Proceribus Carnioliæ in ſtudioſæ juventutis incitamentum, & gratiam cuſum, abhinc retrò annis centum, & undecim bene meritis in ſcholaſticis certaminibus publicè fuit diſtributum.

10. Quod ſecundo loco eſt, eſt è numero miſſilium jactatum electo in Epiſcopum Labacenſem zeloſiſſimo illo, penè dixerim, Carnioliæ Apoſtolo Thomâ Chrön, qui perſpectâ ſibi arduitate extirpationis irradicati in Carnioliæ, & adjacentium locorum ſolo Luteraniſmi, &

econ-

econtrà propoſito cæleſtis gloriæ præmio, hoc ſuo ſe in anteriori numiſmatis facie expreſſo, & inſcripto ſymbolo TERRET LABOR? ASPICE PRÆMIUM ad tam arduum opus ſtimulabat, & ſtimulari denotabat. Partem miſſilis poſteram quod attinet, hac ſolùm memoriæ mandari voluit, quotus is Labacenſium Epiſcopus, quâ die, quove anno ad jam fatum pervenerit, electuſue fuerit Epiſcopatum.

11. Tertium locum occupans itidem miſſile eſt anteriùs prænominati Celſiſſimi Principis Epiſcopi principalia exempti Epiſcopatûs Labacenſis, nec non gentilitia Chröniana inſignia præſeferens cum hac inſcriptione; THOMAS. CHRON. IX. EPS. LAB. 29. MART. quibus

bus verbis electionis dies deſignatur, prout etiam in poſtica parte ejuſdem miſſilis CONSECRATUS GRÆTII. 12. SEPT. 1599. adnotatur.

12. Nunc, poſtquam jam ſuprà Num. 6. inſinuatum, quòd numiſmata, quæ miſſilia non ſunt, etiam privatis fabreſacere liberum ſit, aliquid de miſſilibus. Hæc in auro æquè, ac argento Coſſ. & Prætoribus in ludis, quos ad initium magiſtratûs edere ſolebant, in liberalitatis, & lætitiæ ſignum jactare in more poſitum, & liberum fuiſſe nemo jure negaverit; quia has jactationes in Novel. 105. Cap. 2. §. 1. ad certum modum revocatas, dein etiam in Novel Leonis 94 in totum ijſdem interdictas legimus. Hoc munificen-

ficentiæ, & liberalitatis indicium poſteriores Romani Imperatores, etſi multi eorum anteceſſores ſimultaneè Prætores, & Coſſ miſſilia ſpargere paſſi fuerint, ſibi ſolis appropriârunt, quòd ſolis illis aurum, & (quod poſt hoc precioſiſſimum eſt) argentum contemnere proprium videretur. Novel. & arg. Novel. 105. cap. 2. §. 1.

13. Moderno tempore tamen, ipſiſmet miſſilibus teſtibus, non tantùm Summi, ſed & ſubalterni terræ principes, ac Domini, quin & aliquando aliæ quædam primis dignitatibus conſpicuæ perſonæ non minus aurea, ac argentea miſſilia ſpargere conſueverunt.

14. Hæc ſparſio Juriſtis anſam diſceptandi præbuit. Quo enim titulo

miſſilium dominium acquirat, qui hæc acquirit, in binas itum eſt ſententias. Quidam occupationis titulum pro modo acquirendi dominij jactorum miſſilium aſſignant, eò quòd hæc quaſi pro derelictis habeantur, adeoque nullius ſint, & occupanti cedant.

15.Alij hanc miſſilium acquiſitionem traditione quadam fieri ex hac ratione defendunt, quòd proycientis, & ſpargentis animus ſit, ut is habeat,qui accipit: cùm autem non conſtet de perſona, quæ acquirit, traditionem incompletam nominant.

16.Prior ſententia ex eo non placet, quòd mens ſpargentium miſſilia principaliter hæc non ſit, ut illa in numero rerum ſuarum eſſe deſinant,

nant, ſed principalis mens eſt, *quod quisque acceperit, ejus eſſe*, ut patet ex §. hoc amplius 46. Inſtit. de rerum diviſione; ſemper autem videndum eſt, quid principaliter, & non quid in conſequentiam agatur arg. l. Tenetur 6. §. 1. & 2 ff. de Actionibus empti & venditi. Deinde ſi miſſile occupatione acquireretur neceſſe eſſet, ut pro tunc foret nullius, hoc autem dici non poteſt, ut ex paulò infrà dicendis liquebit.

17. Poſterior ſententia communis eſt, & vera fundata in dicto §. hoc amplius, ubi verba illa *voluntas domini transfert rei proprietatem*. & iterum verba *ſtatim eum dominum efficiunt* denotant, quòd jactans dominium miſſilis ei, qui id accipit, trans- & conferat: atqui alio, ac traditionis nomi-

nomine hæc trans- & collatio veni-
18. re non poteſt, ergo. Ad hæc
quòd immediatè à ſpargente in ca-
pientem dominium miſſilis trans-
feratur, confirmatur ex his, quæ
habet Ant. Perezius Inſtit. Imp. lib.
2. Tit. 1. ad §. *qua ratione*, qui Au-
thor aſſignando differentiam inter
miſſilia, & inter res, quæ haben-
tur pro derelicto, innuit cogitatio-
nem, mentem, & voluntatem
ſpargentis eſſe, ut miſſilia non deſi-
nant eſſe è numero rerum ſuarum,
niſi ab alio apprehenſa fuerint: Sci-
mus autem ex l. 4. Cod. de acqui-
renda, & retinenda poſſeſſione, rei
poſſeſſionem etiam ſolo animo re-
tineri poſſe. Et hæc pro nunc ſa-
tis ſunto.

EPI-

EPILOGIUM:

N*Ihil curæ ejus ſatis eſt : qui cogitat, quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum*, non nemo eſt effatus, ego verò (gnarus quòd humana ingenia ad arguendum promta ſint) idipſum verum eſſe ſum expertus. Sed quia duplicis ferè tantùm generis homines dari me non latebat, doctos ſcilicet, & his ſemper adverſantes indoctos, adhæc ab illis benignè corrigi volupe, ab his autem cum nota argui poſſe impoſſibile videbatur, diſcurſum meum de pecunijs vetero-novis BOS IN LINGUA inſcriptum, ut eſt, publici juris facere non dubitavi. Hunc, Benevole Lector, ſi te legiſſe, & in eo humani

me

me aliquid paſſum animadvertiſſe contigit; aut amanter corrige, aut ſaltem compatere memor eorum, quæ habet Juſtinianus in l. 2. §. 14. Cod. de veteri Jure enucleando ſic inquiens: *penitùs in nullo peccare, divinitatis magìs, quàm mortalitatis eſt*; id quod & in l. 3. §. 13. Cod. eodem idem Sacratiſſimus Imperator iteratò paulò alijs verbis refert: *in nullò*, inquit, *errare, ſeu in omnibus irreprebenſibilem, ſeu inemendabilem eſſe. Divinæ utique ſolius, non autem mortalis eſt conſtantiæ, ſeu roboris.* Corrige ergo, ut dixi, aut compatere: tum ſi hoc fieri, & de cætero labores meos non omnino ingratos fore videro, inſuper DEUS ter Optimus Maximus vitam non

non nihil protraxerit, perque curas quandoque otiari licuerit, ad majora, & ſolidora hoc in ſtudio calamum acuam, & incitabo, quem modò ſiſto.

Soli DEO Laus, Honor, Virtus, & Gloria.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

ÆS dicitur pecunia cujusvis materiæ ſol. 21
Æs quis primus Romæ ſignaverit. 24. 70
Æris ſignandi poteſtas quando Senatui Rom. ademta? 115
Analogia auri ad argentum decupla. 132
Animantia ab initio erant communia. 9
Antonius III-Vir denarijs ferrum miſcuit. 81
Argentum ferro validius. 19
Argentum quando primùm Romæ ſignatum? 70

Argenti ſignandi poteſtatem Senatui ademit Tiberius. 72.115
Aſſis ſynonyma. 138
Aſſis nota quæ? 139
Aſſis pondus varium 141
Aſſis valor quis? 139
Aureus Romanus idem, ac ſolidus, vel ſextula 131
Aureus unius drachmæ tot olim, quot hodie flor. 2. Didrachmus quot 4. 133
Aurei exactum valorem ſcire volens quid noſſe debeat? 132
Aurum quando Romæ ſignari cæpit? 71
Auri ſignandi jus ſenatui ademit Tib. 72

B.

Bicipites aliquando nati. 63.64
Bigatus à bigis inciſis dicitur. 3
Bigatus eſt denarius. 136
Bonitas extrinſeca numi eſt valor. 42
Bonitas intrinſeca numi eſt materia, & pondus. 42

Bonitas intrinſeca, & extrinſeca correſpondere debet. 42. *connaturaliter.* 107

Bonitas intrinſeca nec in liga, nec in pondere minuenda. 88. *& ſeqq.*

Bonitatis extrinſecæ adauctæ exempla. 82. *& ſeqq.*

Bonitatis intrinſecæ diminutæ ex. 46. 81

Bos Athenienſis pecunia. 2

Bos in lingua etiam diſcurſum de pecunijs denotat. 2

Bos in lingua quid propriè ſignificet? 2

C.

Cain aliquibus numi inventor eſt. 59

Cain malè dicitur inveniſſe numos. 66

Cajus Julius Cæſar cum Imperio Rom. jus monetandi ſibi arrogavit. 115

Carnioliæ Ducatus habet jus monet. 75

Commune, quod ex communi naſcitur. 9

Communia in principio fuerunt omnia. 6

Com-

Communio parit diſcordias. 11

D.

Denarius à quo ſic dicitur? 134

Denarij nota quæ? *ibid.*

Denarij valor æquivalet hodiernis 4. groſſis 135

Depravationes monetarum prohibitæ. 47. 50. & *ſeqq.*

Dionyſius ſyrac. X. duplicato valore cudit. 82

Diviſionem rerum hominum in laborando inæqualitas promovit. 11

Divitiæ vocabulũ unde etymologetur? 20

Divitijs omnia parent. 19

Druſus miſcuit æs argento. 46. 81

E.

Enecus Lupides chartam pannuceam in pecuniam effinxit dein verâ pecuniâ reluendam. 38

Errare humanum. 158

Expenſæ in cudenda moneta ôbvenientes in materia detrahuntur 43.57

F.

Facul, faculter, facultas idem quod facile, faciliter, facilitas. 20

Facultates quaſi facilitates à facilitando dicuntur. 19

Flaviſſæ quid? 16

Flaviſſarum alia nomina. 17

Frid. Auguſtinus pecuniam coriaceam à ſe ſignatam poſtea aureis totidem mutavit. 40

Fridericus Imp. pecuniam ex corio confecit auro reluendam. 37

Forma primi numi quæ? 111

Formæ numorum ab Impp. percuſſorum quæ? 116

Formæ numorum familias Rom. exhibentium quæ? 113

Formæ numorum Imperij Romano-Germanici quæ? 120

G.

Gróſſis cæſareis 4. denarius Rom. æquivalet. 135

H.

Heterogenei an aliquando aliquid, & quantum miſcere liceat? 56. 57

Heterogenei vilioris in numis nimia admixtio nec in neceſſitate licita 53. 54

I.

Janus primus inventor numi. 62

Janum bifrontem fuiſſe nil implicat. 63

Inæqualitas laborum diviſionem promovit. 11

Inops quis? 18

Juramentum de conſervanda legitimo pondere defraudata moneta non tenet. 88

Jus monetandi cæſareum Regale. 72

Jus monetandi ex ſpeciali conceſſione etiam alij habent. 73

Jus monetandi habet Ducatus Carniolię. 74. *& ſeqq.*
Jus monetandi non niſi ſub obligatione cudendi ex præſcripto conceditur. 99
Jus monetandi non præſcribitur privativè, ſed tantùm cumulativè. 77
Jus monetandi non uſu non amittitur. 76

L.

Labor inæqualis rerum diviſionem promovit. 11
Legibus judicandum. 47
Legiſlativam poteſtatem habens, nec alius numos exaltare poteſt. 86
Leydenſes pecuniam è papyro argenteâ commutarunt. 41
Liga. vide bonitas intrinſeca.

M.

Materia monetarum in Rom. Imp. hodie eſt aurum & argenteum. 33
Materia numi qualis eſſe debeat? 13

Medio-

Mediobarbi Biragi laus. 119
Melitæi æs valore argenti ſignârunt argento reluendum. 37
Miſſile argenteum Thomæ Epiſcopi Labacenſis. 150
Miſſile aureum ejuſdem. 151
Miſſilia an traditionis, an occupationis titulo acquirantur diſputant Authores. 154
Miſſilia aurea & argentea jure Novel. ſoli Impp. ſpargunt. 153
Miſſilia qui hodie ſpargere ſoleant? 153
Miſſilia ſpargentis mens quæ? 155. 156
Miſſilia traditione acquiruntur. 155
Miſſilium libera ſparſio primùm reſtricta, dein ſublata? 152
Mixtio. vide Heterogeneum.
Moneta à monendo. 21
Moneta cenſuum & ſubjectionis admonet. 22

Moneta depravata quando, & in quantum devalorata? 47

Moneta in neceſſitate potiùs exaltanda, quàm vilior cudenda. 93. 94

Moneta provincialis etiam ad ligam Imperij cudenda eſt. 105

Moneta ſi variaret in liga, aut pondere, dum precium materiæ variat, infinitæ fierent confuſiones. 102

Moneta tum primùm augmentum ſumpſit, cùm æqualiter acceptari debet. 98

Monetæ liga deteriorari nunquam debet. 47. 50. 51. 52 88

Monetam neceſſitatis tempore intrinſecè, vel extrinſecè viliorem cudens ceſſante neceſſitate tenetur reluere. 36

Monetam ſuo pondere deſtitutam nemo tenetur acceptare. 92

Moneta vide Numus, & Pecunia.

Mone-

Monetandi jus. vide Jus monetandi.

N.

Neceſſitatis tempore ex re qualibet pecunia fieri poteſt. 36
Nöe cur putetur numi inventor. 60
Numiſma in lata ſignificat. quid? 124
Numiſma ſtrictè ſic dictũ quid? 125.144
Numiſmata alia honoraria, alia miſſilia. 145
Numiſmata celebriora prioris ſæculi vulgavit Luckius. 148
Numiſmata cur æſtimanda? 144
Numiſmata honoraria quæ? 145
Numiſmata miſſilia quæ? 146
Numiſmata non erant monetæ. 128
Numiſmata, quæ mercis gratia elaborantur tanti non fiunt. 146
Numiſmatum honorariorũ diviſio. 147
Numus à græco νόμιος dicitur. 14. 25
Numus à Numa non denominatur. 24

Numus, & numiſma an à numerò, vel numine etymologetur? 23
Numus in lata ſignificatione quid? 124
Numus in propria ſignificatione quid.ib.
Numus lege valet. 14. 86
Numus quare inductus? 12. 13
Numus. vide etiam moneta, vel pecunia.
Numi bonitas intrinſeca, & extrinſeca correſpondere debet. 42
Numi Abrahami temp. jam fuerunt. 67
Numi antiqui ſunt vel magni, vel mediocris, vel minimi moduli. 125
Numi à Triumviris monetalibus cuſi ſunt familiarum Rom. monumen. 112
Numi cur ſignentur? 43
Numi magni, mediocris, minimi moduli qui? 129
Numi maximi moduli propriè dicuntur numiſmata. 126
Numorum antiquorum quæ ſpecies? 130

Numi

Numi viliores devalorat. obnoxij. 42. 49
Numos niſi legislator nemo exaltat. 86

O.

Opes ab opitulando dicuntur. 18
Ops quid ſignificet? *ibid.*

P.

Pecunia à pecore dicitur. 21
Pecunia dicitur etiam aliquando ſanguis, & animus. 17
Pecunia ex ære, argento, & auro erat Romanis. 32

Pecunia ex
- *aurichalco.* 30
- *corio.* 31 69
- *ferro.* 31
- *lapide.* 30
- *mori folijs.* 27
- *porcellano.* *ibid.*
- *pellicula arboris.* 28
- *ſale augugui.* 27
- *ſtanno.* 32

Peuc-

Pecunia primùm ponderabatur. 14
Pecunia. vide etiam numus, vel monèta.

Pecuniæ loco	*amygdalæ* Paden.	29
	annuli ferrei.	31
	Cacavi fructus.	30
	conchæ.	29
	conchyliorū tegumenta.	27
	corallium.	28
	oſſa mortuorum.	34
	piperis grana.	28
	ſalis micæ.	*ibid.*

Pecuniæ nomine veniunt res omnes. 66
Pecuniæ Athenienſi bos fuit inciſus. 3. 4
Pecuniæ obediunt omnia. 20
Permutatio quare cæperit? 11
Plantata ſolo cedunt. 8
Pondus æris quando, & quantùm imminutum? 81
Pondus ſemper ſervandum. 90
Poſſeſſio ſolo animo retinetur. 156

Præ-

Præmium ſcholaſticum aliquando Labaci fuit numiſma. 150

Q.

Quadrans quid? 140
Quadrantis quis valor? *ibid.*
Quadrantis ſynonyma. *ibid.*
Quadrigatus ab inciſis quadrigis. 3
Quadrigatus eſt valoris denarij. 136
Quinarius unde dicatur? *ibid.*
Quinarij nota quæ? 137
Quinarij valor quis? 136

R.

Rauduſculum quid? 16
Requiſita numi quæ? 43
Romæ æs primus ſignavit Servius. 70
Romæ aſſes ſcorteos ab initio habuêre. 69
Romæ rauduſculis aliquando uſi. *ib.*
Romani quando primùm argentum ſignarunt? 70
Rom. quando aurũ ſignare cæperunt? 71

S. *San-*

S.

Sanguis & animus pecunia impropriè dicitur. 17
Saturnus aliquibus numi inventor eſt. 61
Saturnus ferũ victũ in melius redegit. 62
Semina ſata ſolo cedunt. 8
Semiſſis ſynonyma. 139
Semiſſis valor quis? ibid.
Servius Rex Romæ 1mus: *ſignavit æs.* 70
Seſtertius & ſeſtertium quantùm diferant? 137
Seſtertius unde dicitur? 137
Seſtertij notæ quæ? ibid.
Seſtertij valor quis? ibid.
Sextans quid? 140
Sextantis valor quis? ibid
Sextula idem quod ſolidus. 131
Sextula non eſt numus æreus. 140
Solidus idem, ac aureus. 131
Solidus quid ſignificet? ibid.

Suus

Suus etiam rem communem denotat. 7. 8

T.

Terra primùm communis erat. 9
Terra quando diviſa? *ibid.*
Tiberius Senatui Romano jus argenti, & auri ſignandi ademit. 72. 115
Triens quid? 139
Trientis valor quis? *ibid.*
Trium-viri monetales cur conſtituti? 48
Trium-viri monetales ſuo ex arbitrio cudebant numos. 112
Trium-virorum munus quod? 49
Tormenta ænea quando inventa? 66
Tubalcain aliquibus numi inventor. 59
Tubalcain non invenit numos. 65

V.

Venetorum Dux Dom. alutinos numos fecit argenteis, & aureis reluendos. 39
Victoriatus ab inciſa victoria dicitur. 3
Victoriati nota quæ? 137

F I N I S.

Menda Typographica ſic emenda.

FOl. 2. lin. 2. f. 13. l. 18. f. 97. l. 3. f. 131. l. 19. pro eum pone cùm. Fol. 2. lin. 19. f. 9 l. 4. pro tantum pone tantùm. Fol. 3. lin. 2. f. 77. l. 3 f. 87. l. 16. f. 88. l. 2. pro quod pone quòd. Fol. 6. lin. 12. pro hic pone hìc. Fol 7. lin. 8. pro induſtria pone induſtriâ. Fol. 9. lin. 5. f. 41. l. 14. f. 49. l. 11. f. 57. l. 5. f. 69. l. 16 f. 69. l. 20. pro ſupra pone ſuprà. Fol. 9. lin. 10. diviſionem typographicam omitte. Fol. 10. lin. 14. f. 51. l. 14. pro ultra pone ultrà. Fol. 12. lin. 13. pro ſecundum pone ſecundùm. Fol. 14. lin. 17. pro primum pone primùm. Fol. 20. lin. 20. pro cffari pone effari. Fol. 24. lin. 20. f. 28. l. 11. f. 55 l. 17. f. 69. l. 8. pro infra pone infrà. Fol. 32. lin. 17. pro infinitis pone infiniti. Fol. 62. lin. 19. & 20. pro fuerat, advectus pone fuerat advectus. Fol. 65. lin. 17. pro quomodolib et pone quomodolibet. Fol. 88. lin. 13. pro primo pone primò. Fol. 88. lin. 18. pro conſervatum pone conſervaturum. Fol. 92. lin. 11. pro paullò pone paulò. Fol. 93. lin. 8. pro facile pone facilè. Fol. 97. lin. 9. pro imo pone imò. Fol. 125. lin. 9. pro vero pone verò. Fol. 131. lin. 16. pro potius pone potiùs. Fol. 142. lin. 11. pro papyriana pone papyrianâ. Fol. 147. lin. 3 pro æque pone æquè fol. 149. lin. 5. pro deline ta pone delineata. Fol. 153. lin. 19. pro hæe pone hæc. &c.

FLORIANTSCHITSCH DE GRIENFELD, J.St. - Bos in lingua
academicus de pecuniis vetero-novis. Labaci, Haered. Mayr
175 pp.; with engr. folding emblem and 5 text-engravings; sm

This small work gives many interesting particulars on Germa
history, but also on money used by primitive people in Asia,
America (bones, stones, shells and nuts), on the coins of car
at Leyden during the siege, on the various metals used for cc
ferent forms of coins, etc. The author lived at Krain (Austria
of the 17th cent.

Syracuse, N. Y.
Stockton, Calif.